



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Addenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

URBANUS SECUNDUS.

ADDENDA
pag. 6.
Ex Labbe
Concil. Rom.
10. pag. 513.

Institutio Cruciatæ contra Turcas in Concilio
Senonensi, anno 1095.

Synodalis Concio URBANI PAPÆ II.

Nostis fratres dilectissimi, & vestram
nosse id expedit caritatem, quomodo
humani generis reparator pro nostra
omnium salute carnem assumens, & homo in-
ter homines conversatus, terram promissionis,
quam pridem Patribus promiserat, propria il-
lustravit præsentia, & assumptæ dispensationis
operibus, & crebrâ simul miraculorum exhi-
bitione reddidit specialiter insignem: id enim,
& veteris, & novi penè in omnibus syllabis
docet series Testamenti. Quadam sanè dilectio-
nis præogativa certum est eam dilexisse, ita ut
eam orbis partem, imo particulam, hæredita-
tem suam dignatus est appellare, cum ejus
sit omnis Terra, & plenitudo ejus, unde per
Isaiam ait *hereditas mea Israel*, & item *vineam
Domini Saboath Domus Israel est*, & licet totam
in partem præcipuum sibi dedicaverit ab initio,
peculiariter tamen urbem sanctam sibi adopta-
vit in propriam, restante Propheta, qui ait:
*Diligit Dominus Terras Sion super omnia taber-
nacula Jacob*, de qua gloriosa dicuntur, vide-
licet, quod in ea docens passus, & resurgens
Salvator salutem operatus est in medio Terræ.
Ad hoc à Seculis est præelecta, ut tantorum
esset conscia, & cella familiaris mysteriorum
electa nimirum, quod ipse qui elegit testatur
dicens: *de Jerusalem Civitate, quam elegi,
venit nobis Salvator*. Quam eisi, peccatis inha-
bitantium id exigentibus justo judicio suo in
manus impiorum sæpius tradi permiserit Domi-
nus, & duræ Jugum servitutis ad tempus eam
sustinere passus sit, non tamen arbitrandum
est, quod eam quasi à se repudiatam abjecerit,
cùm rescriptum sit: *Elegit Dominus omnem
Filium, quem recipit*: illi verò thesaurizat iram,
cui dicitur: *Recessit zelus meus à te, jam am-
plius non irascar tibi*: Dilexit ergo eam, nec
imperuit erga eam, dilectionis fervor, cui di-
cit: *Ejus corona gloriæ in manu Domini,
& diadema Regni in manu Dei tui, & non
vocaberis amplius desolata, sed vocaberis
voluntas mea, quia complacuit Domino in
te*. Hæc igitur salutis nostræ cunabula,
Domini patriam, religionis matrem, populus
absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ possidet
violenter, & captivatis liberæ filiis, extre-
mas imponit conditiones, quibus versa vice
merito servire tenebatur.

Sed quid scriptum est? *Ecce Ancillam, & filium
ejus*: Saracenorum gens impia, & mundanarum
sectatrix traditionum, Loca sancta, in quibus
steterunt pedes Domini, jam à multis retro
temporibus violenter premit tyrannide: Sub-
actis fidelibus, & in servitute damnatis, in-
gressi sunt canes in sancta, prophanatum est
sanctuarium, humiliatus est cultor Dei popu-
lus, angarias patitur indignas genus electum
servit in lato, & in latere regale Sacerdotium,
princeps Provinciarum facta est sub tributo ci-
vitas Dei cujus non liquefiat anima? cujus non
turbescant præcordia, iis ad animum recurren-

tibus? Quis hæc sicis oculis audire potest fra-
tres carissimi? Templum Domini, de quo ze-
lans Dominus vendentes eiecit, & mentes,
ne Domus Patris ejus fieret spelunca latronum,
factum est sedes Dæmoniorum, idipsum enim,
& Marthathiam sacerdotem magnum, sancto-
rum Progenitorem Macchabæorum, ad zelum
accendit commendabilem, sicut ipse testatur,
dicens. *Templum Domini quasi vir ignobilis, vasa
gloriæ ejus adducta sunt capriva*: civitas regis
regum omnium, quæ aliis regulas intemeratæ
tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur
invita deservire. Sanctæ resurrectionis Ecclesiæ,
requies dormientis Domini, eorum sustinet im-
peria, sædatur spurcitiis eorum, qui resur-
rectionis non habebunt participium, sed sti-
pula ignis eterni perennibus deputabuntur in-
cendiis. Loca venerabilia divinis deputata
mysteriis, quæ Dominum susceperunt hospite-
m, signa viderunt, senserunt beneficia, quo-
rum omnium in se plena fide prætendunt ar-
gumenta, facta sunt gregum præsepia, stabu-
la Jumentorum. Laudabilis Populus, cui be-
nedixit Dominus exercituum, sub angariarum
& sordidarum præstationum pondere genit
fatigatus, rapiuntur eorum filii, matris Ec-
clesiæ cara pignora, ut gentium immunditiis
deserviant, & nomen Dei vivi abneget, vel
ore blasphemant sacrilego, compelluntur: aut
impia desistantes imperia caduntur, gladiis mo-
re bidentium, sanctis martyribus fociandi. Non
est Sacrilegis locorum differentia, non est per-
sonarum respectus. In sanctuariis occiduntur
Sacerdotes, & Levitæ, coguntur virgines for-
nicari, aut per tormenta perire, nec matronis
ætas maturior suffragatur.

Væ nobis, qui in hanc tam periculosi tem-
poris descendimus miseriam, quam in spiritu
prævidens electus à Domino David rex fidelis
deplorat, dicens: *Deus venerunt gentes in
hæreditatem tuam, polluerunt templum
sanctum tuum, & item: Populum tuum
humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexa-
verunt, quid, domine, irascaris in finem,
accendetur, velut ignis ira tuâ? Ubi sunt
misericordiæ tuæ antiquæ Domine? Verum
ne est quod dicitur: non obliviscetur mise-
reri Deus, non continebit in ira sua miseri-
cordias suas? recordare Domine quid accide-
rit nobis, intueri, & vide opprobrium no-
strum. Væ nobis, ut quid nati sumus vide-
re corruptionem Populi nostri, & contritio-
nem Civitatis sanctæ, & sedere illic, cum
dantur in manibus inimicorum sancta. Vos
igitur dilectissimi armamini zelo Dei, accingi-
mini unusquisque gladio suo super femur suum
potentissimè. Accingimini, & estote filii po-
tentis: melius est enim nobis mori in Bello,
quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum.
Si quis zelum Legis Dei habet, adjungat se
nobis, subveniamus fratribus nostris. *dirumpamus
vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipso-
rum*, egredimini, & Dominus erit vobiscum,
aima, quæ cæde mutua illicite cruentastis,
in hostes fidei, & nominis Christiani conver-
tite. Furta, incendia, rapinas, homicidia,
& cætera, qualia qui agunt regnum Dei*

1. Mach. 2.

Psal. 75.
- 93.
- 75.

Psal. 22.

Isaia 19.

Isaia 5.

Psal. 116.

Heb. 12.

Ezech. 16.

Isaia 62.

Gen. 27.

ANNO
1095.

non desidebunt, hoc Deo beneplacito redimite obsequio, ut delictorum, quibus Dominum ad iracundiam provocastis, celerem indulgentiam pro vobis obtineant hæc pietatis opera, & deprecatio collata Sanctorum. Monemus igitur, & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum injungimus, ut fratribus nostris, & cælestis Regni cohæredibus (omnes enim invicem sumus membra, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi) qui Hierosolymis, & in finibus ejus habitant, afflictioni, & laboribus compatiæntes, infidelium insolentiam, qui sibi regna, principatus, & potestates subicere contendunt, debita compescatis animadversione, & illis totis viribus occurratis, quibus est propositum nomen delere Christianum. Alioquin futurum est ut in proximo Ecclesia Dei jugum indebitæ perferens servituti, fidei sentiat dispendium, prævalente Gentilium superstitione. In quanta enim positi sint afflictione noverunt ex nobis nonnulli, qui hæc, quæ loquimur occulta conspexerunt fide, & præsens illorum per manum Petri viri venerabilis, qui præsens est ad nos delata docet epistola. Nos autem de misericordia Dei, & Beati Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis poenitentias relaxamus. Qui autem ibi in vera poenitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam & fructum externæ mercedis se non dubitent habituros. Interim verò eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub Ecclesiæ defensione, & Beatorum Petri, & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab universis inquietationibus tam in rebus, quam in personis statuimus manere securos. Si vero quispiam molestare eos ausu temerario præsumperit, per Episcopum Locum excommunicatione feriatur, & tandiù sententia ab omnibus observetur, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congruè satisfiat.

Episcopi verò, & Presbyteri, qui talibus formiter non restiterint, officii suspensione muldentur, donec misericordiam sedis Apostolicæ obtineant.

ADDENDA
pag. 30.
Ex Act. Tires &c. du Clergé de France Tom. II. pag. 172.

Mandat Archiepiscopo Senonensi, quod veteri Monachis, Canonicis, & Regularibus excommunicare, & ab excommunicatione absolvere, nisi facultatem exhibuerint authenticam, undè eis hoc liceat: anno

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Senonensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem.

SI quando postulatur à nobis quòd juri conveniat & Ecclesiasticæ consonet honestati, perentium desideriis facilem debemus imperitari assensum eorumque vota effectu prosequente complere; ea propter tuis justis postulationibus inclinati auctoritate tibi Apostolica indulgemus, ut monachos & canonicos & alios Religiosos qui in Diocesi tua excommunicatos absolvent vel excommunicatos absolutos, nisi scriptum authenticum undè hoc liceat exhibuerint ab hujusmodi præsumptione appellatione remota auctoritate nostra compescas. Datum vellei XIV. Kal. Julii.

Sigillatum uno Sigillo in plumbo, quod continet hæc verba: Lucius P. P. III. cum duabus effigibus & his literis S. P. A. S. P. &c.

Exemplar supra scriptum cum illius archetypo in archivio Archiepiscopatus Senonensis existente composuit Jacobus le Riche, Clericus auctoritate Apostolica & Archiepiscopali Senonensi Notarius dicti archivi claviger & custos, Senonis degens die vigesima prima mensis Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto.

Le Riche.

Epistola contra Falsatores, & contra Censores malignos.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

UNiversis Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælati, & Clericis, nec non & universis Christi fideles præsentis litteras inspecturis. Pridem eo Bullæ nostre contracto typario, quò Apostolorum Petri, & Pauli capita signabantur, aliud ut cunque consimile fecimus continuò subrogari, ne ob bullæ defectum personis & negotiis ex vacatione dispendium immineret. Porò quia subrogatum hujusmodi copulentiores solito eorumdem capitum effigies exprimebat; dum per hoc dicebatur notabiliter à priori, aliud postmodum, cujus impressione præsentis Literæ manuntur, aptius in opus bullandi perpetuum fecimus, reposito in ortum sic altero, alterius officis ministerio fabricari, donec corruptione, seu vetustate defecerit, non mutandum. Verum quia Falsariorum perniciofa subtilitas, si parum vigilet cauta prudentia ex adverso, ex mutatione prædicta præsumeret fortasse malignandi materiam, & molendi sibi nova nequitiae instrumenta; perspicaciori est considerationis oculo providendum, ut si letalis sibi ipsi & toti corpori suo manus falsis incudibus simile quicquam effigiare tentaverit intrà pestilentes proprii latibuli officinas id per transumptam de veris exemplaribus speciem, fallere nequeat oculos inspectoris arguti, vel evadere ad communis utilitatis incommodum severi Judicis ultionem. Quocirca mandamus, quatinus contra litterarum nostrarum falsarios manus sollicitè indaginis porrigentes, iniquitates ipsorum satagatis ad perfectum odium invenire; ità quod hæc radix quæ per suffragia maligni temporis pullulavit, disciplinalis falcis acumine succidatur. Cum aliquibus vestrum apostolicas litteras contingerit præsentari, circa præsentantis personam, maxime si privilegium, vel litteras super concessionibus, vel indulgentiis, quæ à nobis non nisi de certa scientia conceduntur, vel committuntur, obtulerit; diligens consideratio habeatur, utrum ex illius opinione, vel meritis aliquis in ejus actionibus sinistra suspensionis scrupulus oriatur. Deinde qui litteras hujusmodi receperit, eas in Bullâ filo, cartâ, stilo dictaminis, scripturâ, formâ, & aliis, in quibus notari, vel deprehendi falsitas potest, circumspiciat diligenter: & si certum in illis falsitatis apparuerit argumentum, reprobentur protinus tanquam falsæ, & contra imperatores earum, vel scienter utentes eisdem ad incarcerationem, & alias poenas juxta rigorem canonum procedat exacta diligentia Prælatorum, contradictores, si & ipsi noluerint Canonicam effigere disciplinam; proviso ut literis ea bulla quam subrogabimus.

ADDENDA
pag. 41.
Ex Cod. 128.
Bibl. Colbert. Defcr.
V. Cl. Stef.
Baluzius.

priari

ANNO
1225.

priori conficiat signatis nullatenus derogeretur. Ita tamen, quod si super earundem literarum aliquibus de veritate Bullæ contigerit rationabiliter dubitari, per subtilem collationem aliarum similium, de quibus non dubitatur, ad illam huiusmodi hæsitatio sine difficultate qualibet dirimatur. Ut autem aliquibus super hoc de culpa, vel negligentia impetrantis nullum frivolum defensionis vel excusationis pallium relinquatur; volumus, & districtè præcipimus ut singuli Prælatorum subditos suos proposito eis publico commonitionis edicto præmuniant, & informet per literas Apostolicas quibus uti disponunt, & quas de aliorum quam nostris, vel illorum, qui ad illud deputati noscuntur officium manibus receperunt apud se ipsos adhibito, si opus fuerit Peritorum consilio, discutiant diligenter, & eas tunc in publicum proferant, cum districto fuerint iudicio approbatæ. Si verò eas intellexerint reprobas, eas statim destruant, vel resignent quod postquam eis publicè uti ceperint, ipsas contingit argui falsitatis; sciant sibi seram ignorantiam, si tunc eam prætenderint, quominus canonicæ penæ subiaceant, nullatenus profuturam. Caveant autem singuli, ne quod ad medelam cogitavimus in hac parte, per abusum tendat ad noxam: quia si nobis obviantibus sceleri falsitatis, aliqui ex hoc materiam sumpserint in personas, vel negotia malignandi, hanc gravem malitiæ culpam, quæ facile poterit deprehendi, non dimittet Apostolicæ disciplinæ severitas impunitam.

omne datum optimum & omne donum perfectum, tenearis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortius obligatum ut pro ipso in fidei subverfores, à quibus blasphematur, animosus infurgas, & pro catholica puritate, quam de partibus illis attendentes dæmoniorum doctrinis eiecisse noscuntur viriliter te opponas, porro non absque dolore cordis & gravi mentis amaritudine recolere possumus quod cum ad stirpandum inde pestem hæreticam multis sit personarum & rerum dispendiis laboratum, penè omnia in confusionem antiquam, populi Christiani peccatis exigentibus, sunt reducta, & illi qui felicibus invidet actibus, sic armavit in Antichristi præambulos partes suas ut diffundentibus illis intrepidè ac latius pravi dogmatis sui virus, verendum est plurimum ne ipsorum veneno regnum tuum in fide ac devotione præ aliis radicum, cui Dominus benedixit, inficiant, & ex hoc contra totam Ecclesiam, tanquam in principalem partem concusam, nova persecutio exciretur. Multò ergo desiderio expectantes ut per te Catholicorum Principum successorem impiis eorum conatibus celeriter obvies, ne illud modicum terræ, quod adhuc tenent Catholici, amittatur, & pestis huiusmodi regnum Franciæ maculet, cui iam aperte suos extendendo laqueos appropinquat, Celsitudinem regiam monemus, rogamus, & obsecramus in Domino quatenus zelo, ut decet, fidei & devotionis accensus, oblatis Deo tuæ coronationis primitiis, causam huiusmodi, quæ Christi est, tibi per quem post Deum posse feliciter agi æstimatur, assumes, pro certo sciturus quod super hoc licet multum Romana Ecclesia laboraverit, non solum spirituale, sed temporale auxilium in personis & rebus quod potuit impendendo, nihilominus tamen parati sumus adhuc & laborem assumere & consilium, & auxilium impertiri. Cum autem hoc negotium summæ pietatis se ingerat, & ex eo videatur agi etiam causa tua, quod pestis ipsa loca iam tibi vicina venenat, citò, carissime fili, Christo, & Ecclesiæ potenter & patienter, prout dominus tibi posse tribuit, in hac parte succurras. Nam potestatem propterea suscepisti, ut per se persecutores Ecclesiæ temporaliter, quod ipsa non potest facere conerantur. Eo quidem si, prout confidimus, Christi & fidei orthodoxæ opprobria in te cadunt, ut zelum, sicut potes, habeas tantam injuriam vindicandi, quod quippe Regis honori expedit, ne defectui tuo tantam fidei subversionem contingeret imputari, speramus in eo qui pueri propositum provehit, & consilium dissipat peccatorum, quod negotium in manu tua prosperabitur, & magnitudo tuæ devotionis, & fidei contritis hæreticis clarius elucescat. Ceterum cum, sicut intelleximus, nobilis vir Amalricus Comes Tolosanensis quicquid juris habet in terra tibi sit offerre paratus in dominio tuo illud recipias, à te ac hæredibus tuis liberè deinceps, & quietè jure perpetuo possidendum. Ad hoc pro certo noveris quod Raymundum Tolosanum Comitem, & Filium ejus cum eorum fautoribus dudum excommunicavimus, nec ad emendationem, licet benigne admoniti, revertuntur, sed contumaciter in sua malitia perseverant. Venerabiles verò Fratres nostros Archiepiscopum Bituricensis, & Lingonensis & Sylvanetensis Episcopos, qui de tuo regno existunt, & tibi favorabiles credimus & devotos, & tui non dubitamus honoris existere Zelatores, specialiter propter hoc ad tuam duximus præsentiam destinandos; quibus solita benignitate susceptis, oblatam tibi per eos, quibus in virtute obe-

ANNO
1225.

ADDENDA
pag. 44.
Ex Baluzii
Miscellaneo-
rum Lib. 2.
pag. 255.

Ludovicum VIII. Francorum Regem hortatur
Albigenses Regno exterminare: anno 1225.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio
Ludovico illustri Regi Franciæ salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum Reges & Principes Christiani propter Ecclesiam matrem suam, ex qua specialiter nati sunt, & quam à Christo, ut eam temporibus suis foveant, suscipere fovendam, Deo teneantur reddere rationem, grave nimis debes gerere ac indignum quod intra terminos regni tui, videlicet in partibus Albigenibus, hæretici manifestè ac intrepidè impugnant Ecclesiam, fidem Christianam evacuant, & dilacerant ipsum Christum. Certè Nabuchodonosor Rex decrevit, dicens: *Quicumque locutus fuerit blasphemiam in Deum Sadrach, Misach, & Abdeneo, in interitu erunt, & domus eorum in dispersione.* Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne deberet Deus Israel blasphemari, commotus, tu Regum Christianissime, devotissimorum Principum successor, & hæres, cum quo devotio Christiana convaluit, evacuari fidem nostram, lacerari Christum, & Ecclesiam dissipari à talibus patieris? Denique si potestates seculi & rectores raptores persequuntur & fures, tu, qui regni folium obtines, terram tuam hæreticis, qui animas pretiosiores cunctis substantiis furantur & rapiunt, non purgabis? sanè præceptum à Domino legitur: *Si audieris in una ex civitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare illic dicentes, eamus, & serviamus diis alienis quos non nostis, pones illos in ore gladii & igne civitatem incendes.* Nimirum etsi pro imensis in hoc sæculo beneficiis Deo, à quo est

Dan. 3.

ANNO
1227.

dientia hujusmodi onus injunximus, nostram & Ecclesie petitionem tam necessariam affectuose ac efficaciter studeas exaudire.

Datum Laterani, decimo nono Kalendas Januarii, Pontificatus nostri: Anno octavo.

ADDENDA
pag. 48.
ex Act. Angl.
Tom. I. pag.
297.

Institutio Festivitatís Beati Edwardi: Anno 1227.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatís per Angliam constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

UT notam faciat filius hominum potentiam suam Dominus & Gloriam magnificentie Regni sui, nonnumquam electos suos, quos in hac vita justificat & coronat, in patria signanter honorat; dans eos miraculis corruscare, dum, omni perfidia confutata, roboratur fides catholica, spes erigitur, & caritas dilatatur.

Quare Christi fideles quos taliter ipse clarificat, pio complectentes amore, devotione debent celebri venerari, ut, in sanctis sanctificandem suppliciter honorantes, illius propitiationem & istorum suffragia salubriter mereantur.

Ex literis siquidem felicis recordationis Alexandri Papæ, prædecessoris nostri, nobis exhibitis extitit declaratum, quod, tam claræ memoriæ Henrico Anglorum Rege, quam omnibus Prælatís Angliæ qui tunc erant ei supplicanti humiliter, & instanter, ut Beatum Edwardum gloriosum quondam Regem Anglorum ascriberet Sanctorum Catalogo in Ecclesia militanti, quem attestantibus miraculorum suorum insignibus, in triumphanti regnare minime dubitant, ipse diligenti cum Fratribus deliberatione præhabita, & libro miraculorum inspecto, quibus ipsum in mortali carne viventem, & exutum ab ea Dominus multipliciter illustrat, visisque literis Innocentii Papæ, cui idem successerat, & receptis testimoniis supplicantium, quamvis negotium tam arduum non frequenter solet, nisi forte in solemnibus Conciliis de more concedi, de Fratrum tamen consilio juxta votum, & desiderium petentium, prædictum sanctum inter Beatos Confessores censuit numerandum, dirigens Univerfis Ecclesiarum Prælatís Angliæ monita, & mandata, ut veneratione debita prædictum colerent Confessorem. Nuper autem venerabilis Frater noster Cantuariensis Archiepiscopus suis nobis literis humiliter supplicavit, ut suppletentes quod à prædicto prædecessore nostro omissum videtur, mandarem Festum ejus solenniter celebrari, quem gloriosus Deus in sanctis suis, adhuc miraculis clarificat gloriosis.

Ne igitur videatur quodammodo ipsius gloriæ derogari, quem digne glorificari possibilitas humana non sufficit, cum reputandum sit in Canonizatione Festi celebratio fore concessa, universitatem vestram monemus attentè per Apostolica scripta mandantes, quatenus ipsius sancti Festum annua celebratione colentes, pro nobis, & vobis ejus apud Deum suffragia suppliciter imploretis.

Datum Laterani quinto Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Primo Filis Sericis Flavi rubrique coloris.

ANNO
1243.

Quod Angliæ Reginae Devotionis gratiâ possit ingredi Oratoria, & Clausura Religiosorum cum decem mulieribus: anno 1243.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissima in Christo Filie Reginae Anglorum Illustri salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ILLA Personam tuam prærogativa prosequimur gratiæ specialis, quod preces tuas, præsertim in qua in se opus continent pietatis libenter admittimus, quantum cum Deo, & Nostra possumus honestate.

Tuæ itaque devotionis precibus inclinati præsentium tibi Auctoritate concedimus, ut, cum interdum causa devotionis ad nonnulla Cisterciensium, & aliorum Religiosorum Monasteria Regni Angliæ divertere te contingat, liceat tibi cum decem bonis, & honestis mulieribus, orationis causa, oratoria, & clausura ingredi eorumdem, consuetudine aliqua, vel statuto confirmato per sedem Apostolicam, seu firmitate alia non obstante.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani septimo Kal. Maji, Pontificatus nostri Anno primo.

Plumbeo sigillo pendente à filis Sericis flavi, rubrique coloris.

De Beneficio Absolutionis Regni impendendo.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio Bonifacio Electo Cantuariensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Angliæ devotis precibus inclinati, præsentium tibi Auctoritate concedimus, ut si quando pro violenta injectione manuum in Clericos, & Personas Ecclesiasticas contigerit incidere in Canonem Sententiæ promulgatæ, impendas ei per te, vel per alium vice tua juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium vice nostra, & jungas illi, quod de Jure fuerit injungendum. Quod si fuerit gravis, & enormis excessus ipsum nequaquam abolvias absque sedis Apostolicæ licentia speciali, præsentibus post quadriennium minime valituris.

Datum Lateran. septimo Kal. Maji Pontificatus nostri Primo.

Plumbeo sigillo pendente à Filo Canabæo.

Solemnizatio

I.
ADDENDA
pag. 51.
ex Archiv.
Angl. Rimer
Tom. I. pag.
417.

ANNO
1243.
II.
Ex Arch.
Rymer Tom.
I. pag. 418.

Solemnizatio Festi Edvardi in Ecclesia universali celebranda: anno 1243.

INNOCENTIUS QUARTUS.

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Archibresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatiis, ad quos Littere istæ pervenerint, salutem & Apostolicam Benedictionem.

UT notam faciat Filiis Hominum Potentiam suam Dominus, & gloriam magnificentiæ Regni sui, nonnumquam electos suos, quos in hac vita iustificat, & coronat in Patria signanter honorat, dans eis miraculis coruscare, dum omni perfidia confutata, roboratur Fides Catholica, spes erigitur, & caritas dilatur.

Quare Christi fideles quos taliter ipse clarificat pio complectens Amore, devotione debent celebri venerari, ut in sanctis sanctificantem suppliciter honorantes, illius Propitiationem, & istarum suffragia salubriter mereantur.

Ex litteris siquidem felicitis recordationis Gregorii Papæ Prædecessoris nostri nobis exhibitis, extitit declaratum, quod piæ memoriæ Alexander Papa prædecessor noster, tam claræ memoriæ Henrico Anglorum Rege, quam omnibus Prælatiis Angliæ, qui tunc erant ei humiliter supplicantibus, & instanter, ac Beatum Eduardum gloriosum quondam Regem Anglorum ascriberet Sanctorum Catalogo in Ecclesia militanti, quem attestantibus miraculorum suorum insignibus in triumphanti regnare minimè dubitant.

Ipse diligenti eum fratribus deliberatione præhabita, & libro miraculorum inspecto, quibus ipsum in mortali carne viventem, & exutum ab ea Dominus multipliciter illustrat. Visis quoque Litteris Innocentii Papæ cui idem Alexander successerat, & receptis Testimoniis supplicantium, quamvis negotium tam arduum non frequenter solet, nisi forte in solemnibus Conciliis de more concedi, de fratum tamen consilio iuxta actum, & desiderium perentium, prædictum sanctum inter Beatos Confessores censuit numerandum, dirigens universis Ecclesiarum prælatis Angliæ monita & mandata, ut veneratione debita prædictum colerent Confessorem.

Idem quoque prædecessor noster Gregorius, Bonæ memoriæ Cant. Archiep. sibi humiliter supplicante, ut supplens quod à prædicto Alexandro videbatur omissum, mandaret Festum ejusdem Confessoris solemniter celebrari, quem Gloriosus Deus in sanctis suis adhuc miraculis clarificat gloriosus, dedit supra dictis Prælatiis suis litteris in mandatis, ut ipsius Festum cujus celebratio reputanda est in canonizatione fuisse concessa, celebratione annua colere procurarent.

Cæterum quod Carissimus in Christo Filius noster Rex Anglorum illustris, nobis nuper suis literis supplicavit, ut sicut in omnem terram sonus miraculorum ejusdem gloriosi Confessoris exivit, sic natales ipsius quos Non. Januarii, & Festum Translationis quod tertio Idus Octobris celebri veneratione in Anglicana Ecclesia præcoluntur, in universali manda-

remus Ecclesia celebrari: Nos attendentes quod humana possibilitas, digne glorificare non sufficit Divina Bonitas tanta gloria sublimavit, universitatem vestram monemus attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus festa prædicta annua celebritate colentes pro nobis, & vobis ejusdem Confessoris apud Deum suffragia suppliciter imploretis.

Dat. Lateran. 4. Kal. Junii Pontificatus nostri anno primo.

Bulla de Pluralitate Beneficiorum: anno 1245.

INNOCENTIUS QUARTUS.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis per Regnum Angliæ constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm sedes Apostolica illo affectu Anglicos prosequatur, ut ipsos inter alios ejus filios, & multiplici favore proponat attollere, ac specialis dono gratiæ honorare, magno desiderio cupimus eosdem Anglicos devotionis studio insistere perseveranter, ac laudabiliter exercitio proficere bonitatis, ut accepti, & digni merito inter cæteros habeantur.

Hinc est quod universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus vestrarum civitatum, & Dioc: Clericos, & eos, qui ascribi desiderant militiæ Clericali (præsertim nobilium, & magnatum filias) attentis, & sedulis exhortationibus inducatis, ut honestati morum, Scientiæ literarum, & virtutum cultui intendant ferventer, studentes omni diligentia se gratos, & idoneos exhibere, ac fediis prædictæ gratiam, aliorumque benevolentiam, probitatis meritis vindicare. Nos enim parati sumus Clericis Regni Angliæ, bene meritis, provisionis Ecclesiasticæ dexteram liberaliter aperire, ac etiam cum illis quos velut Nobiliores, & probiores ampliori gratia noverimus esse dignos super beneficiorum pluralitate honorificè dispensare. Dat. Lugdun. tertio Non. Augusti, Pontificatus Nostri Anno tertio sub Filo Canabi.

Quod universi Ecclesiarum Patroni in Regno Angliæ possint ad Ecclesias in quibus habent Jus-patronatus liberè præsentare absque contradictionis obstaculo: Anno 1245.

INNOCENTIUS QUARTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Fervens Anglorum meretur devotio, ut eos Apostolica sedes tanquam speciales Filios Brachiis maternæ affectionis amplectens, & favore ipsos munit oportuno, ac offerat gratiæ privilegio potioris.

Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, volentes jura vestra illæsa servari universitati vestræ ut ad Ecclesiastica beneficia, in quibus Jus Patronatus habetis, cum ea vacare contigerit, præsentare illis ad quos eorundem beneficiorum spectat collatio, personas idoneas, quæ velint & possint in eis utiliter deservire, absque cujuslibet contradictionis obstaculo liberè, prout ad vos pertinet, valeatis, auctoritate præsentium indulgemus.

ANNO
1245.

III.
Ex Arch. v.
Rymer Tom.
I. P. 437.

IV.
Ex Arch. v.
Angl. Rymer
Tom. I. pag.
437.

ANNO
1246.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire;

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Dat. Lugdun. tertio Non. Augusti, Pontificatus nostri Anno tertio.

Plumbeo sigillo pendente à filis Sericis flavi rubicque coloris.

V.
Ex Anecd.
Martene
Tom. I. col.
1246.

Bulla continens Privilegium Abbati Britolienfi concessum, ut in Festo S. Constantiani in adventu Domini possint Monachi cantare in Missa *Gloria in excelsis Deo*, & *Ite Missa est*: anno 1246.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Abbati & Conventui Monasterii de Britolio Belvacensis Diocesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Quoties à nobis petitur quod laudi Divini nominis convenire dignoscitur: animo nos decet libenti concedere, & piis perentium desideriis favorem benevoluntatis imperitari. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Festum beati Constantiani Confessoris, cujus corpus in vestro Monasterio requiescit, nonnunquam in adventu Domini celebrari contingat, & in Festo ipsius ad dictum Monasterium propter miracula evidentia, quæ Dominus ipsius sancti meritis frequenter operatur, ibidem causa devotionis fidelium Christi conveniat multitudo, cantandi *Gloria in Excelsis Deo*, & *Ite Missa est* in celebratione Missæ dicti Festi vobis licentiam largiri dignemur. Nos igitur vestris postulacionibus grato concurrentes assensu, vobis hujusmodi licentiam auctoritate præsentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Lugduni 15. Kal. Octob. Pontificatus nostri anno quarto.

Quod Abbates Cisterciensis Ordinis nullum ex Fratibus Prædicatorum recipiant: an. 1247.

VI.
Ex Anecd.
Martene
Tom. I.
col. 1026.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Universis Abbatibus, & Conventibus Ordinis Cisterciensis ad quos litera iste pervenerint salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum olim felicitatis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster de Religiosorum finibus omnem turbationis materiam amputare desiderans, vobis in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandaverit, prout in registro ipsius Prædecessoris continentur expresse, ut nullum de ordine Fratrum Prædicatorum prætextu alicujus Indulgentiæ, nisi prius sedis Apostolicæ, vel Prioris sui petita licentiâ & obtentâ, in vestrum admitteretis consortium, & receptos ad sui resumptionem habi-

tus remittere curaretis: Vos, sicut accepimus, non solum admissos restituere contemistis ad plenum, verum etiam plures postmodum ex ipsis Fratibus præter formam à dicto Prædecessore nostro vobis impostam, non absque inobedientia vitio recepistis. Volentes igitur, ut ejusdem Prædecessoris nostri mandatum, ut pote pluribus saluterum, & Seminarium pacis firmiter observetur à vobis: Universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omnes, quos de ordine prædicto vos, vel Antecessores vestri contra mandatum hujusmodi recepistis, ad priores ipsorum sine difficultatis obice remittentes, studentes à receptione talium propter quietem ordinis utriusque, de cetero abstinere. Alioquin ne hoc per aliquorum insolentiam impedire contingat, Venerabilibus nostris Archiepiscopis & Episcopis locorum vestrorum Diocesis nostris damus literis in mandatis, ut eos qui ex vobis hujusmodi mandato Apostolico noluerint humiliter obedire, ad id monitione promissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota compellant: indulgentia sedis Apostolicæ contraria non obstante.

Datum Lugduni 8. Kal. Junii Pontificatus nostri anno quarto.

Bulla continens Indulgentias Cruce - signatis concessas, & mandatum de prædicanda Cruce: anno 1250.

ANNO
1250.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Venerabilibus Fratibus Cantuarien. & Eboracen. Archiepiscopis; & Cicestræn. Exoniën. & Meneven. Episcopis; ac dilectis Filiis Priori prædicatorum, & Ministris minorum Fratrum, Provincialibus Angliæ, salutem & Apostolicam benedictionem.

Filiorum dextera Pia Mater Sancta Romana Ecclesia jugiter lamentatur, quia Dominus celestis Panis Mons Sion unde Lex exiit: Civitas Regni magni de qua multa dicta sunt gloriosa: Terra, quam Dei Filius fuso pro nobis suo sanguine, conservavit, Regni robur, & Pulcritudinem perdidit: Flet, quia quondam libera, sub impiæ Tirannidis Jugo servit; Lugeat quia ubi pacem multitudo celestis militiæ cecinit, ibi pressura Gentes immundissimæ scandala, simultates, & schismata suscitavit; ac innovans excidia plurimorum, misit ad venerabilia manum suam Sacerdotis, & Sacrorum Ordinem, pias Leges, & ipsius Naturæ jura relegans à Templo Domini; diversis ibidem spurcitiis, & abominationibus introductis.

Et idem in suis decisa Sabbatis obforduit quasi polluta menstruis, inter hostes illa nostris olim promissa Patribus Sanctorum Patrum nostrorum Patria, & hæreditas Domini, terra sancta, quam Salvator Noster ad exhibenda ibidem Mysteria humanæ redemptionis elegit; Ubi confusione contempta, sputo conspersus, cæsus colaphis, flagellis afflictus; coronatus spinis coram Pilato sisti, tamquam multorum reus criminum, perculit crucifixus ad ultimum, & potatus felle, lancea perforatus, emittens cum clamore valido spiritum pro conditionis humanæ viribus reparandis, cursum præsentis vitæ saturatus injuriis consummavit.

VII.
Ex Archiv.
Ang. Rymer
Tom. I.
pag. 452.

Hic

ANNO
1250.

Hic est, ut repetamus aliter, qui de Paterno folio gloriæ, cælis mirabiliter inclinatis ad nostræ mortalitatis ima descendens, non indignatus est Deus homo, creator creatura fieri, suscipere Dominus formam Servi, ut qui non poteramus per nostram Justitiam sperare veniam, consecuti per hæc gratiam inauditam, hæredes Dei, cohæredes verò Christi Divinitatis consortium felicitatis æternæ participium sortiremur; quis igitur poterit ei, qui tot bona nobis contulit negare subsidium.

Propterea sedes Apostolica illius Terræ miserabilem statum, & conditionem considerans emittit luctus, multiplicat fletus, & inter singulos, & suspiria vix respirans clamat ad proximos, recurrit ad notos, & exponit Domesticis Fidei Salvatoris instantiam, qui sine intermissione singulos Fideles ad tirocinium suum vocat, & necessitatem urgentissimam Terræ Sanctæ, quæ nisi (quod absit) his temporibus de Paganorum manibus liberetur, vix poterit postea de ipsius recuperatione sperari.

Attendite itaque universi Catholici, quàm ignominiosam sit locum illum salutis nostræ primordium coquinari spurciis? Et tanto tempore ab immundissimis gentibus contrectari? Consideret quilibet, quàm detestabile sit largitori omnium claudere dexteram? & non succurrere Salvatori? & apparebit aperte, quod nec ad profligandum hujusmodi opprobria, nec ad impendenda ei, qui omnia largitur auxilia est ipsius Fidelibus dormiendum. Nonne crimine læsæ Majestatis involvitur, qui temporali Domino inter inimicos posito negat auxilium? ejusque Terram ab hostibus non defendit. Unde cum plus sit divinam quàm humanam lædere majestatem, non debet aliquis ad succurrendum Deo vivo Domino Jesu Christo excitantis Tubæ sonitum, vel hortantis vocis præconium expectare, sed sine interpellatione currere, ut non tam penam effugiat, quàm Regni celestis mereatur fieri particeps, & cohæres.

Confurgite strenui Angliæ Pugiles, Domini Athletæ Divini, ac milites redemptores ad tam sanctum laudabile opus more progenitorum vestrorum, qui ferventiores in necessitatibus existebant, virium vestram extrema constantes armemini proinus crucis Galea contra eos qui sancta sanctorum coquinant, & abominatones in ea, & immunditias introducunt.

Festinate dum tempus habetis, & est manus Domini contra illos, ne forte avertatur ab eis, propter fidelium segnitiam, furor ejus, quia tunc non esset tutum cum eis congregari, nec cum tanta multitudine dimicare.

Considerate quæsumus, ut sitis in hujusmodi negotio promptiores, quod carissimus in Christo Filius noster Rex Angliæ Illustris, zelo Fidei, ac devotionis accensus assumpto crucis signaculo, postpositis regalibus, opibus, & fastigiis dignitatum, ad transfretandum in Terram sanctam potenter, & magnificè prout decet tantum Principem, se accingit.

Unde ut sitis una cum eo hujusmodi momentanei laboris participes, & æterni præmii non expertes exsurgite viriliter, apprehendentes arma, & securum ad ulciscendum illius injuriam, qui probra nostra diluit, se ipsum in cruce pro Nobis vivam hostiam immolavit. Et ut ad ideo libentius, & animosius intendatis, quo exinde bona spiritualia, quæ temporalibus præferenda sunt perceperitis potiora, Nos de omnipotentis Dei Misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus Autoritate confisi, & illa quam Nobis Deus

licet indignis ligandi, atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem istum in propriis Personis subierint, & expensis plenam suorum peccatorum veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum: Eis autem, qui non in propriis Personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem, & qualitatem suam viros idoneos destinaverint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis in propriis tamen Personas accesserint; Et eis, qui quartam, seu majorem partem proventus, & obventionum de redditibus suis pro subsidio dictæ Terræ eidem Regi, cum iter transmarinum arripuerit, vel collectoribus deputatis ad opus ipsius erogaverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus, & concedimus esse particeps juxta quantitatem subsidii, & devotionis effectum, omnes, qui ad subventionem ipsius Terræ de bonis suis decimam, vel aliam partem dicto Regi, tempore sui Passagii, vel ad opus ipsius, collectoribus ministrarint, aut circa prædicta Consilium, vel auxilium impenderint opportunum, & qui pro eodem negotio auctoritate nostra prædicaverint verbum crucis.

Volumus etiam cruce signatos illo privilegio, eaque immunitate gaudere, quæ in generali Cruce signatorum indulgentia continetur; Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, crediores ipsorum, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant de plano, & absque solemnii strepitu, veritate cognita, ecclesiastica præcipimus distractione compelli.

Quod si quisquam Creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum, sub forma prædicta, simili cogi animadversione mandamus. Judæos verò ad restituendas usuras ea, qua convenit, præcipimus censura compelli, & donec illas remiserint, fideliæ eis communio denegetur. Presbyteris autem, & Clericis qui assumpto, vel assumendo crucis signaculo sunt personaliter profecturi; Et Clericis Parochiales Ecclesias habentibus, qui fideliter tantum transierint per Bellatores idoneos, quantum expenderint si personaliter illuc irent, præsentium auctoritate concedimus, ut proventus Beneficiorum suorum, quos perciperent tempore passagii, vel missionis, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis integrè percipiant per triennium, ac si personaliter in Ecclesiis in quibus Beneficia ipsa obtinent residerent; & si necesse fuerit eos per idem tempus vendere, vel pignori valeant obligare, non obstante ipsarum Ecclesiarum contraria consuetudine, vel statuto, Juramento, vel confirmatione sedis Apostolicæ, aut quacumque firmitate alia roboratis, vel literis Apostolicis de quibus specialem, & expressam oporteat in præsentibus fieri mentionem, sed etiam quod ipsorum aliqui de non impetrandis aliquibus indulgentiis, vel non utendis impetratis, vel concessis juramento præstito promiserunt. Et tam cruce signatos, quàm cruce signandos, post quàm receperint signum crucis cum uxoribus; familiis, & omnibus Bonis ipsorum, sub Apostolicæ sedis protectione suscipimus; eisque nihilominus indulgemus, ut extra suos dioceses Auctoritate literarum Apostolicarum sedis, vel legatorum ejus, nequeant ad Judicium evocari; statuentes ut Bona ipsorum ex tunc integra maneat, & quietæ, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur.

ANNO
1250.

Archiepiscopi

ANNO
1250.

Archiepiscopi verò, & Episcopi diocesani & eorumdem cruce signatorum, nec non & Archidiaconi, & eorum officiales nostra freti Autoritate non permittant eosdem cruce signatos contra protectionis, & indulgentiæ nostræ tenorem, ab aliquibus indebitè molestari: Molestatores hujusmodi per Censuram Ecclesiasticam appellationem postposita compescendo.

Præterea volumus, & præsentium Autoritate concedimus, ut Clerici, & Laici cruce signati, & cruce signandi Regni Angliæ Decimas non ratione Ecclesiarum pacificè detinentes fructus earum hætenus perceptos in Terræ sanctæ subsidium convertere valeant propter seipfos, vel eidem Regi, cum transfretare voluerit, secura conscientia exhibere.

Quo circa discretioni vestræ propter Apostolica scripta mandamus quatenus vos Fratres Archiepiscopi, & Episcopi propter vestras civitates, & Dioceses, ac Provincias, & totum Regnum Angliæ proponatis, & proponi faciatis per alios, quos ad hoc idoneos noveritis, verbum Crucis; eos ad id si necesse fuerit per censuram Ecclesiasticam Appellatione postposita compellendo.

Et ut Fideles Christi liberius, & ferventiùs currant ad verbum Domini audiendum, omnibus verè poenitentibus, & confessis, qui ad vestram, & illorum quibus id commiseritis solemnem prædicationem accesserint in qualibet civitate, Villa vel Oppido, in qualibet convocatione, seu stationem, decem, vel viginti, seu triginta, vel quadraginta, seu sexaginta dierum indulgentiam, vos, & illi, quibus officium prædicationis committendum duxeritis, largimini prout videritis expedire.

Ut autem nihil omnino desit ad commissum vobis officium exequendum, absolvendi juxta formam Ecclesiæ manuum injectores in Clericos, seculares, & Personas religiosas, ac incendiarios, & excommunicatos pro decima, vel vigesima deputata pacis, & Fidei, ac ejusdem terræ negotio, non soluta, nec non sacrilegos, fortilegos, & eos, qui contra Apostolicæ sedis, vel Legatorum ipsius sepulcrum Domini visitarunt.

Illos quoque qui in Partibus Albigenisibus, hereticis contra Catholicos auxilium impendunt (dummodo heretici, vel eorum credentes non sint) ac eos qui portaverunt Ferrum, Arma, lignamina, & merces prohibitas Sarcenis, vel aliàs contra Christianos dederunt eis consilium, auxilium, vel favorem.

Nec non Clericos, qui excommunicationis sententias incurrerunt per Legatos sedis Apostolicæ in concubinariis promulgatas, & illos Clericos in Prælaturis dignitatibus, vel Personatibus constitutos, & Ecclesiarum Rectores, & Religiosos quoslibet, qui contra constitutiones Ecclesiæ leges, vel Physicam audierunt.

Ac dispensandi cum irregularibus, quos præmissa occasione, vel pro eo quod fortè excommunicati, vel suspensi aliàs, irregularitatem aliquam incurrant, dum tamen cruce signati existant, vel recipiant signum crucis, vel propriis expensis alios pro se miserint belatores, vel juxta qualitatem Culpæ, & facultates suas congruam ad arbitrium vestrum de facultatibus propriis miserint portionem, nisi adèd gravis, & enormis excessus fuerit manuum injectorum, quod merito debeant ad sedem Apostolicam destinari.

Ac reconciliandi Penitentes, dummodo sint cruce signati, vel recipiant signum crucis; Et alia vota Peregrinationis, & abstinentiæ, commutandi in votum hujusmodi Pietatis, &

dispensandi cum Clericis, qui occasione hujusmodi irregularitatem aliquam incurrerunt.

Plenum vobis concedimus facultatem; proviso tamen, quod prædicti manuum injectores, & incendiarii injuriam, & damna passis satisfaciant competenter, & debitores decimæ, ac vicecimæ debitam satisfactionem impendant. Si verò aliqui eorumdem legitimo fuerint impedimento detenti, eis redimendi votum crucis, & vobis recipiendi hujusmodi redemptiones nomine ipsius Regis, ac absolvendi eos à voto prædicto, & indicendi ferias diebus prædicationis juxta vestræ discretionis arbitrium libera sit de nostra commissione facultas.

Volumus etiam, & mandamus, ut pecunia per nos, & alios deputandos à vobis, ob causas prædictas Autoritate sedis Apostolicæ recipienda, vel colligenda in posterum eidem Regi cum iter transmarinum arripere voluerit, vel mandato ipsius pro subsidio Terræ sanctæ integrè assignetur; dummodo non sit alio Autoritate sedis Apostolicæ deputata.

Et illi qui pecuniam hujusmodi promiserint solvere, vel etiam tenebuntur ad solutionem ipsius, per censuram Ecclesiasticam per vos, vel per alios compellantur.

Cæterum vos & illi quibus verbum hujusmodi commiseritis prædicandum, Rectores Ecclesiarum Regni ejusdem, & prædictarum Civitatum, & Diocesium, moneatis diligenter, & efficaciter inducatis eos ad id si necesse fuerit per censuram Ecclesiasticam compellendo, ut ipsi, cum Parochianis suis ad audiendum verbum crucis devotè, ac reverenter accedant; & in ipsis prædicationibus vestris ubi expedire videritis harum literarum tenorem legatis, & faciatis legi cum debita reverentia, & exponi.

Ceterum quia sicut accepimus prædicationis officium, quod pro jam dicto negotio imponimus vobis, & aliis per quatuordecim impeditur, nè ipsi negotio impedimentum, vel obstaculum aliquod ingeratur, quæstionis universis, si qui præsentis fuerint proponendi aliquid Populo, dum à vobis proponitur verbum crucis licentiam prænitens interdicere procuretis, temeritatem eorum, qui contra præsumperint, per censuram eandem appellatione postposita compescendo.

Nè vero os Bovi trituranti claudatur liceat vobis filii Prior, & Minister in eodem officio laborantibus si expedire videritis pro quinque evectioibus, & totidem Personis ad hoc necessariis procuraciones recipere moderatas; contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo.

Præcipimus autem, ut tam vos, quam illi quibus hujusmodi officium commiseritis, qui vobiscum autoritate funguntur, ita sitis universi, & singuli in præmissis exequendis solliciti, quod sine dilatione, absque ullo mandato, nec expectet unus alium; exequamini ea fideliter, & prudenter, ita tamen, quod executione hujusmodi alter alterum non impediat, nec perturbet.

Non obstantibus, si aliquibus, quod excommunicari, suspendi, vel interdicti non valeant à sede Apostolica sit indultum, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, seu literis ab eadem sede obtentis, vel obtinendis, per quæ prædicta impediri vel differri possint, & de quibus specialem oporteat in præcedentibus fieri mentionem.

Dat. Lugdun. sexto Kal. Maji. Pontificatus Nostri Anno septimo.

Plumbeo sigillo pendente à filo canabæo.

ANNO
1250.

ANNO
1252.

Bulla de Negotio Crucis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Centaurien. & Ebaracen. Archiepiscopis, ac Hereforden. Elien. & Danelnen. Episcopis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Um Carissimo Filio nostro Regi Angliæ Illustri ad exequendam magnificentius votum crucis, decimam Ecclesiasticorum proventuum Regni Angliæ, ac aliarum Terrarum, quæ sunt ipsius Jurisdictioni subiectæ, de vestro, & aliorum Regni ejusdem assensu duximus per triennium concedendam.

Fraternitati vestræ præsentium Autoritate mandamus, quatenus postquam statutum fuerit ejus Passagium, & juratum, per biennium ante idem Passagium, decimam ipsam, nec non redemptionis votorum, legata relicta, seu alio modo concessa in prædictis Regno, & Terris subsidio Terræ Sanctæ à tempore crucis signationis ipsius, dummodo aliis concessa, vel assignata non sint, & alios per vos, quos ad hoc idoneos videritis de consilio ipsius Regis fideliter colligentes, conservetis ipsa in aliquibus tutis locis, assignaturi ea integrè prædicto Regi, cum iter arripuerit transmarinum.

Non obstantibus aliquibus indulgentiis, privilegiis, seu literis in generali, vel speciali ab Apostolica sede obtentis, & quibuslibet aliis, per quæ id impediri, vel differri valeat, & de quibus specialem oporteat præsentibus fieri mentionem, & constitutione de duabus dictis edita in Concilio generali. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam Appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, quatuor, vel tres, aut duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Dat. Lugd. 2. Kal. Maji Pontificatus nostri anno septimo.

Quod Fratres Prædicatores equitate possint: anno 1250.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Regi Angliæ Illustri salutem & Apostolicam Benedictionem.

Elstudinis tuæ precibus benignum imperientes assensum, Fratribus prædicatoribus & Minoribus, quos tecum duxeris ultra mare, equitandi, quotiens à te requisiti fuerint, non obstante contrario statuto suorum ordinum, liberam concedimus facultatem.

Dat. Lugdun. 2. Kal. Maji, Pontificatus nostri anno septimo.

Bulla de Collatoribus Redemptionum votorum Cruce signatorum: anno 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Burdegalia, & Episcopo Vasaten. salutem & Apostolicam Benedictionem.

Um carissimo in Christo filio nostro Regi Angliæ illustri cruce signato redemptiones votorum cruce signatorum, & obventiones, & legata seu relicta Terræ sanctæ subsidio, in Regno Angliæ, & aliis Terris ejusdem Regis, ad opus Terræ sanctæ duxerimus concedenda, certis super his collectoribus d. nonnulli Clerici & Laici locorum ipsorum, quibus similem gratiam, usque ad certas summas, antequam idem Rex feceramus, ultra prædictam summam plurima perceperunt; fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus ipsos, quod omnia, quæ ultra easdem summas ex prædictis percepisse noscuntur, vobis ad opus ejusdem Regis cum integritate restituant, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis.

Non obstante si eis, quod excommunicari, suspendi, vel interdicti non possint, à sede Apostolica sit indultum; & quavis alia ipsius sedis indulgentia, per quam id impediri seu differri valeat; & de qua, ejusque toto tenore, ac de verbo ad verbum similem oporteat in præsentibus fieri mentionem; & constitutione de duabus diebus edita in Concilio generali.

Dat. Perusii Non. Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

Plumbeo sigillo.

De decima danda, de Maneriis Episcoporum & Prælatorum Regi Angliæ, in subsidium Terræ Sanctæ: an. 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis, collectoribus decime Ecclesiasticorum Proventuum, carissimo in Christo filio nostro Regi Angliæ Illustri, concessa in subsidium Terræ Sanctæ, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Um sicut carissimus in Christo filius Rex Angliæ Illustris sub nobis petitione monstravit, nos sibi usque ad triennium decimam Ecclesiasticorum Proventuum in subsidium Terræ sanctæ in Regno Angliæ, Vallia, Hibernia, & Vasconia, videlicet in Terra sua duxerimus concedendam. Nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, & alii eorundem Locorum Prælati concessionem nostram interpretatione voluntaria restringentes asserunt eam extendi ad sua Maneria non debere dictam decimam eidem Regi solvere de iis indebitè denegantes.

Nè igitur Rex præfatus per Interpretationem hujusmodi provisionis nostræ frustratur effectu, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus faciatis eidem dicta interpretatione repulsa de Maneriis eisdem decimam hujusmodi juxta formam traditam exhiberi.

Datum Perusii Id. Martii Pontificatus nostri anno decimo.

Plumbeo sigillo pendente à filo canabeo.

ANNO
1252.

X.
Ex Archiv.
Angl. Rymer
Tom. I.
pag. 471.

VIII.
Ex Act. Angl.
Rymer.
Tom. I. pag.
456.

IX.
Ex Act. Angl.
Rymer Tom.
I. pag. 470.

ANNO
1252.

X I.
Ex Archiv.
Angl. Rymer
Tom. I. pag.
471.

De Querela facta per Clerum Angliæ de gravibus oppressionibus, Anglis illatis per Curiam Romanam, ratione provisionum &c. anno 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis Regni Angliæ, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Habet Ecclesia Romana humeros communibus oneribus assuetos, & pronos ad sublevanda gravamina singulorum: Habet & animum qui caritatis necessitudine suggerente quibuslibet non afflictionis cogit consilia, sed medelæ, quam experiuntur assidue in Apostolicæ sedis uberibus non deesse, qui ejus implorare coguntur in necessitate præsidium diversis laboribus fatigati.

Si qua ergo super iis quæ ab eadem sede pro tempore imponuntur aliquorum tamquam hæc eorum gravent obedientiam, querela submurmurat facile paterna compatitur pietas, & succurrit, quæ tamquam propriis afficitur incommodis proximorum.

Nuper sanè per communes nuncios, quos ad nostram præsentiam destinastis, fuit ex parte vestra propositum coram Nobis, quod Anglicana Ecclesia in Beneficiorum provisionibus pro alienigenis intolerabiliter per sedem Apostolicam est gravata in ejusdem grave dispendium, & scandalum Anglicorum; cum eadem Provisiones summam quinquaginta millium marcarum annis singulis excedere assentantur, super quo provideri per Apostolicæ sedis clementiam, iidem Nuncii vestro nomine supplicarunt.

Novit Deus, conscientia nostra testis, quod quibuslibet ejusdem Ecclesiæ gravaminibus, ut intrens cordis nostri visceribus condolemus his maxime, quæ nostris temporibus sunt adjecta; Quia etiam ex merito devotionis qua Romanam Ecclesiam Anglicana semper coluisse recolitur, onera sibi quibuscumque temporibus ingesta nos premant, ipsiusque gemitus ex quibuscumque nobis causis expressi, animam nostram amaritudine compassionis afficiant, tamen quæ nostris nocentur causam habuisse temporibus gravius nos conturbant.

Sed malitia fratrum nostrorum temporum longam futuris seculis relictura memoriam, & maiorem posteris, qui hæc acceperint illatura stuporem, quam percipiat ætas ista sensibus præsentium exercitata malorum, nec non & importunitas plurimorum, aut temporis, aut causæ, aut personæ sive loci fulta suffragiis, nos ad multa, quæ displicent, nec habere debent consequentiam interdum invitos, interdum parum voluntarios impulserunt, qua ratione perpensa, piis potest mentibus in multis salutem æquanimitas patientiæ suadere.

Quod autem aliquibus Clericis provisionis Apostolicæ gratia in Regno Angliæ prosequen-
tibus, post sumptuosos labores attritis multipliciter, & exhaustis paterna sumus miseratione compassi, eis per aliquod providæ ordinationis, vel decisionis compendium consulendo.

Quod etiam quibusdam quibus provisionis nostræ manus claudi non potuit, pro quibus interdum non solum ipsorum, verum etiam Ecclesiarum, in quibus eis providendum

videtur, interpellat utilitas à principio, ne ipsi damnosa difficilis prosecutionis dispendia patiantur per aliquam præventionis gratiam duximus præcavendum, quod quidem justior præstare potest laudi materiam, quam querelæ, cum per hoc, & hominum obvictur malitiis, quod non ambigitur prudentis justitiæ opus esse.

Et non minus interdum Ecclesiarum, quam Personarum incommodis occurratur, quod laudabili est circumspeditionis consilio ascribendum, comperit enim per quot malorum incommoda, per quot difficultatum anfractus Clerici hujusmodi distrahantur, quam quam acceptos ipsos efficiat in gratia, & iudicio consequendis, aut meritum proprium, aut alienus favor, aut reverentia mandatorum.

Vota igitur vestra vobis super hoc prædictorum nunciorum supplicationibus intimata, in pectoris nostri secreto colligimus diligenti meditationis examine digerenda, & nobis modos, per quos honestè à prædictis provisionum oneribus Anglicana relevari possit Ecclesia recoleantibus diligenter, hoc remedium relevationis occurrit, si super eo cum cogitationibus nostris conveniant sensus vestri ut ait.

Aliquorum de Clericis Italicis per sedem Apostolicam in Regno Angliæ beneficia consecutus, prout vobis videbitur usque ad summam octo millia marcarum in bonæ voluntatis patientia provisionibus toleratis (quoniam, nec possumus, nec debemus privare quemquam, sine causa legitima jure suo, qui sumus omnibus iniustitiæ contra injuriam defensores) cogendo cæteros, quibus in eodem Regno, & Apostolicæ Sedis autoritate provifum, ac personale residentiam in suis beneficiis faciendam, & susceptionem ordinum, sicut beneficia ipsa requirunt, ac privandos eisdem beneficiis residere, aut ordinari contumaciter recusantes, eaque aliis, qui hæc implere velint, & valeant conferendi libera singulis vestrum in suis Diecesibus à sede Apostolica possibilitas, cui nulla obster obtenta, vel obtinenda indulgentia concedatur.

Nos insuper, qui pluribus hactenus annis ita cessavimus à beneficiis in Regno Angliæ conferendis, ut ferè nulli, vel paucissimi debeant, aut possint se dolere gravatos, deinceps ab iis nostræ potestatis plenitudinem taliter curabimus continere, quod singuli benignitatem apostolicam sentiant vobis in multa honorificentia detulisse, & nihilominus de prædicta octo millium marcarum summa, si unquam tolerabiliter fieri poterit, adimemus, ut caritati vestrae uberius satisfiat.

Nec volumus, aut intendimus, quod hujusmodi octo millium marcarum summa in posterum ad consequentiam detrahatur, ut usque ad eam Anglicana Ecclesia per sedem Apostolicam gravari debeat in provisionibus faciendis, vel manere gravata; sed propositi, ac desiderii nostri esse scitote, ut eadem Ecclesia à provisionibus factis etiam intrâ summam eandem, in qua etiam duximus æquanimitè tolerandas, taliter relevetur; & à faciendis in posterum sic habeatur immunis, quod super iis nulla eidem suppetat ratio gemitus, aut querelæ.

Hoc fiat tempore nostro, prout Vita nobis comes fuerit, & ad hoc præstiterit in rebus humanis dispositio Divina favorem; fiet quoque plenius successorum nostrorum Deo dante, temporibus, pro ut illis Deus inspirabit, & plenior dabit exequendi hujus propositi facultatem.

ANNO
1252.

ANNO
1252.

Itaque si hoc, quod super præmissa supplicatione nostra excogitavit attentio, vobis videatur acceptum, id nobis per vestras communes literas declararetis, ut in effectum congruum animi nostri conceptio, secundum communem approbationis nostræ libitum, proferatur; Et ut super hoc melius procedatur, singuli vestrum Clericorum nomina beneficia in suis Diecesibus ea provisione prædictæ sedis obtinentium, & quam summam secundum exemptionem communem attingat beneficia singulorum, nobis studeant fideliter intinere.

Datum Assisii undecimo Kal. Junii Pontificatus nostri anno decimo.

Ad Comitem Piclavensem super tractatu cum Fratre ejus Comite Provinciae, de transfrendo in hunc Regno Siciliae, tamquam Romanæ Ecclesiæ aperto: an. 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quia nonnunquam ardua negotia desiderant longum tractatum, mirari non debent aliquatenus, nec moveri, si tantus tractatus, qui habitus est inter Ecclesiam Romanam & dilectum filium, nobilem virum Carolum, Comitem Provinciae fratrem tuum, super dando sibi Regno Siciliae, ad eandem Ecclesiam legitime devoluto, non est adhuc, ut desideratur, hinc inde diversis impedimentis emergentibus, consummatus; maxime cum non referat, quantacunque sit in agendis dilatio, si feliciter terminetur, solentque cum quodam augmento venire, si protrahantur non malitiose, sed inevitabiliter concupita. Verum cum nos & fratres nostri diu super hoc diligenti deliberatione præhabita, jam in personam ejusdem comitis, quam ad id præsligimus, concordemus, sperantes firmiter & pro certo tenentes, quod per ipsum, in quem non tam nostra, quam aliorum fere omnium, quos tangit negotium, vota concurrunt, quique, veluti filius dexteræ, pacis Princeps & matutinus lucifer expectatur, quiescet orbis, tumultuosa quassatio Ecclesiæ tranquillitatem recipiet & prosperabitur, ut ipsamet hæc omnia, sicut toto credimus corde, desiderat negotium terræ sanctæ: Dilectum filium magistrum Albertum notarium nostrum ad tuam & ipsius præsentiam cum pleno mandato consummandi prædictum negotium, & faciendi omnia, quæ ad illud pertinent, de fratrum nostrorum consilio, destinamus; cui tanquam tui & ejusdem Comitis honoris & commodi Zelatori, adhibeas in omnibus, quæ tibi ex parte nostra dixerit, plenam fidem. Rogamus itaque devotionem tuam attentius & hortamur, in remissionem tibi peccaminum imponentes, quatenus considerato clementer quam magnifice, quam utiliter quamque virtuosè dictus Comes Deo & Ecclesiæ ac toti Christianitati, hujusmodi onus & honorem suscipiendo, deservit; cum per hoc, summtota turbatione Seculi, quam ipsius regni opulentia nutrit, tranquillitas desiderata proveniat, intendatur ad laudem Domini latius & salubriter futuris periculis occurratur, nec præsumatur, quod eum ad id temporalium rerum cupiditas, sed solus Zelus Domini & fervor

Addenda ad Bullar. Rom. Contin. Pars III.

ANNO
1255.

fidei ac devotionis inducant; præfatum Comitem tua magnificentia moneat & inducat, ut idem regnum, ei & in ipso tibi desideranter oblatum, pro Divina & Apostolica sedis ac nostra reverentia, cum humilitate ac hilaritate recipiat, ut de terreno ad cæleste, ac de temporali corona pervenire, propiciante illo, cujus in hac parte negotium agitur, valeat ad æternam; Sciturus pro certo, quod universa & singula, quæ super his cum eo præfatus notarius ordinabit, adimplebimus & servabimus immutabiliter, sine aliqua diminutione prout per eum fuerint ordinata.

Datum Perusii, Non. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo; Sigillatum sub plumbo cum cordula canabis.

Ad Henricum Angliæ Regem quod præstet juramentum fidelitatis Romanæ Ecclesiæ nomine Edmundi Filii sui pro Regno Siciliae: anno 1255.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Regi Angliæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum Nos Regnum Siciliae, & totam terram, quæ est citra Farum, usque ad confinia Terrarum Ecclesiæ Romanæ carissimo in Christo Filio, nostro Edmundo illustri Regi Siciliae, nato tuo duxerimus concedenda, prout in Apostolico Privilegio confecto exinde plenius continetur.

Ac inter alia in eodem Privilegio habeatur expressè quod tu, ipsius Edmundi nomine, nobis, nostrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, pro præfatis Regno, & Terra: juramentum Fidelitatis sub forma in ipso Privilegio contenta præstabis.

Et in manibus illius, quem ad hoc specialiter mittimus, nobis, & ipsi Ecclesiæ pro eodem Edmundo ligium homagium facies.

Ac formam juramenti hujusmodi seriatim per tuas Parentes literas sub tuo sigillo & ipsius Edmundi Bulla aurea nobis mittes.

Nosque Venerabilem Fratrem Nostrum Bononien. Episcopum propter hoc, & pro recipiendis obligationibus, & pro universis aliis, quæ in præfato privilegio declarantur ad te specialiter destinemus.

Serenitatem tuam rogamus, & hortamur attentè, quatenus hujusmodi Juramentum Fidelitatis nobis, & successoribus nostris, ac Romanæ Ecclesiæ præstes.

Et in ejusdem Episcopi manibus Nobis, & prædictæ Ecclesiæ pro ipso Edmundo ligium homagium facias.

Ac formam Juramenti hujusmodi seriatim per tuas patentes literas nobis sub tuo sigillo, & prædicti Edmundo aurea Bulla transmittas. Dat. Neapoli ipf. Kal. Junii Pontificatus nostri, anno primo.

Plumbeo sigillo pendente à filo canabeo.

I.
ADDENDA
pag. 53.
Ex Archiv.
Angl. Rimer
Tom. I. pag.
533.

ANNO
1255.II.
Ex Archiv.
Ang. Rymer
Tom. I.
Pag. 893.

Conditiones sub quibus Siciliae Regnum conceditur Edmundo Filio Henrici Regis Angliæ: anno 1255.

ALEXANDER QUARTUS,

Carissimo in Christo Filio Edmundo Illustri Regi Sicilia &c. salutem & Apostolicam Benedictionem.

Asfueta Sedis Apostolicæ circumspectio habens in sua liberalitate Providentiæ studium, attentè propensat quibus dexteram aperiat largitatis ut ampliori eiga illos munificentia exuberet, qui potioribus circa eam fulgere meritis dignoscantur. Undè quia semper inclitum genus tuum puritate Fidei, devotionis sinceritate sedulique prosequutione servitii erga Romanam Ecclesiam matrem suam excellenter effulgit. Idcirca ipsa, quæ prompta in gratia, in dono benivola, copiosa in præmio, & in retributione magnifica invenitur, majoribus genus ipsum cupit ampliari beneficiis, & altioribus honoribus sublimare, ut quanto abundantius de materni dulcedine uberis auxerit, tanto in ipsius matris beneplacitis vehementius delectetur.

Sanè dilectus Filius Magister Albertus Notarius Noster Apostolicæ sedis legatus Tibi, & hæredibus tuis, sicut ex parte tua nobis relatum extitit Regnum Siciliae, ac totam terram, quæ est citra Farum, usque ad confinia Terrarum Ecclesiæ Romanæ, cum omnibus juribus honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (excepta civitate Beneventana cum ipsius Juribus, & pertinentiis universis) in Feudum de speciali Authoritate, ac mandato Felicis recordationis Innocentii Papæ quarti Prædecessoris nostri concessit, salvis libertatibus, & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni, & Terræ tam in electionibus, quam in aliis spectantibus ad eadem.

Idem verò Prædecessor ut asseris concessionem hujusmodi supplendo defectum, si quis in ea fuerat de plenitudine Potestatis, Authoritate Apostolica confirmavit tibi, Regnum, & Terram præfata in Feudum de novo concedens, prout in ipsius literis plenius dicitur contineri.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati concessionem, & confirmationem hujusmodi sub conditionibus infra scriptis ratas, & gratas habentes, ipsas de Fratrum nostrorum approbamus consilio, & assensu, & sub eisdem conditionibus illas Authoritate Apostolica innovantes, Regnum, & Terram prædicta, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis de Fratrum ipsorum Consensu, tibi, & hæredibus tuis utriusque sexus in Feudum sub eisdem conditionibus perpetuo concedimus, & etiam confirmamus.

Conditiones autem sunt istæ quod tu, & hæredes tui Regnum, & Terram præfata nullatenus dividetis, sed semper illa unus tantum, sub ipsis conditionibus immediatè, ac in capite ab Ecclesia Romana tenebit, & tam tu, quam ipsi hæredes nobis, & successoribus Nostri canonicè intransibus, ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatis præstabitis sacramentum, & ligium homagium facietis secundum formam inferius annotatam, & singulis ipsis successoribus, & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis, tam ipsum homagium, quam hujusmodi sacramentum.

Quolibet verò Anno in Festo Beat. Petri, & Pauli Apostolorum, vel infra ipsius Festi octavas, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, tu, tuique hæredes pro prædictis Regno, & Terra, duo millia unciarum boni, & puri Auri de Tarenis ad pondus Romanum census nomine Romanæ Ecclesiæ persolveretis.

Quandocumque autem Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit asseruerit Ecclesiam indigere, tu, & hæredes tui pro præfatis Regno, & Terra requisiti ab eo ad urbem in Patrimonium Beati Petri & Ecclesiæ, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, & in omnes alias Terras Ecclesiæ per Italiam trecentos Milites, Equis, & Armis bene, & decenter paratos, & munitos, in obsequium, & subsidium ipsius Ecclesiæ transmittetis per tres menses integros in vestris sumptibus, & stipendiis semel tamen in Anno in servicio ejusdem Ecclesiæ moraturos, mensibus ipsis à die quo iidem Milites dictum Regnum egressi fuerint, per vulgares dietas, & solitas computandis.

Omnes quoque Ecclesiæ de Regno, & Terra prædictis, tam cathedrales, quam aliæ regulares, & seculares, nec non & universæ Ecclesiasticæ Personæ illis libertatibus, & immunitatibus omnino gaudebunt, quæ ipsis competunt secundum canonicas sanctiones; ita quod circa easdem Ecclesias, & Personas, tam in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quam omnibus aliis Romanus Pontifex, & Romana Ecclesia Jurisdictionem, & Authoritatem omnimodam liberè exercent, salvo tibi, tuisque hæredibus Jure patronatus, si quod Reges Siciliae, seu ejusdem Regni, & Terræ Domini hætenus in aliqua vel aliquibus Ecclesiarum ipsarum consueverunt habere; in tantum tamen in quantum Ecclesiarum Patronis in hac parte canonica instituta concedunt.

Universæ insuper Ecclesiæ de præfatis Regno, & Terra tam regulares, quam seculares de plano ad omnia bona immobilia ipsa ablata, seu occupata ab aliis in quorum possessione ipsas fuisse constabit restituentur ad plenum, super aliis verò de quorum possessione non statim constare poterit fiet eis absque difficultate, ac dilatione justitiæ complementum.

Porro tu, & singuli Hæredes tui nobis, & singulis successoribus nostris, & Ecclesiæ Romanæ, quando Juramentum præstabitis fidelitatis, jurabitis, vos ad hæc specialiter obligatos, quod numquam per vos, vel per alios, seu quocumque modo procurabitis, ut in Regem, vel Imperatorem eligamini Romanorum, & si electionem ad Imperium de vobis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni assensum præstabitis, nec intromittetis vos de Regimine Imperii ullo modo. Quod si tu, vel aliqui hæredum ipsorum studentibus, vel procurantibus vobis ad Imperium electi fueritis, & præbueritis assensum electioni taliter factæ de vobis, si hoc verum, & manifestum fuerit, vel si post talem electionem, & consensum de Imperii Regimine vos manifestè intromiseritis, eo ipso à Jure prædictorum Regni, & Terræ cadatis ex toto, ipsaque pænitus amittatis. Si autem electioni factæ non procurantibus aut etiam procurantibus vobis consenseritis, & ut huic electioni, vel Juri renunctietis omnimò, & quod de Imperio vos nequaquam intromittatis admoniti infra quatuor mensium spatium, post monitionem hujusmodi tali Juri non renuncia-

veritis

ANNO
1255.

ANNO
1255.

veritis, vel de ipso Imperio vos intromiseritis quoquo modo ex hoc ipso suis præmissis Regno, & terra, & eorum prorsus Jure privati: si vero ad te vel ipsos hæredes non poterit commode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicet, quod moneri commode non possitis, credetur, & stabitur assertioni Romani Pontificis, sive dicto, sufficienti pro ea publica super hoc ipsius Romani Pontificis monitio, & solemnitas, ita quod si infra sex Menses post illam non renunciaveritis, vel de Imperio vos quomolibet intromiseritis, ex hoc ab omni Jure prædictorum Regni, & Terræ cadatis, cæterum si contigerit aliquem de tuis hæredibus, qui deberet in Regno, & Terra prædictis de Jure succedere in Romanorum Imperatorem eligi, vel assumi nullatenus possessionem eorundem Regni & Terræ nanciscatur, vel habeat, nec se de illorum cura, Dominio, vel Regimine per se, vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius Imperio, & omni Juri sibi competenti in illo prorsus renuntiet, & ipsius Imperii regimen nec de Jure illud, nec de facto gerens, vel retinens, omnino dimittat, nullo umquam ipsum tempore resumprurus: alioquin cadat ab omni successione, ac jure, quæ in eisdem Regno, & Terra sibi competeret ipso facto, ita quod Regnum, & Terra præfata ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem plenè, & libere devolvantur.

Si autem tu, aut aliquis tuorum hæredum contra hæc veneritis, sitis eo ipso excommunicationis sententia, quam ex nunc proferimus innodati, & insuper reserpsi, & notati labe, ac reatu perjurii maneatis, cum nostra perpetua, & firma voluntas existat, ut numquam Regnum Siciliae uniatur, vel jungatur Imperio, videlicet, quod unus, & idem, & Romanorum Imperator, & Siciliae Rex existat.

Civitatem quoque Beneventanam cum omnibus libertatibus, immunitatibus, privilegiis, tenementis, districtibus, Juribus, & pertinentiis suis Romana semper habeat, sibi que retinebit Ecclesia, & tu, tuique hæredes ad ipsius reedificationem & reparationem exhibebitis vos favorabiles, benevolos, & benignos, & nullum in hoc prorsus impedimentum præstabitis, aut obstaculum opponetis, incolis etiam ejusdem civitatis, & totius sui districtus per te, ac hæredes ipsos fidantia remittentur, & renovabitur insuper eis privilegia, cum super hoc ab Ecclesia, vel ab ipsis fueritis requisiti, & in cunctis suis libertatibus & immunitatibus eadem plenè conservabitur civitas; Ità quod Beneventani per totum Siciliae Regnum liberè ire, morari valeant, & redire, ac negociationes, & mercimonia exercere, nec eis aliqua specialis servitus imponetur. Sylvas etiam lapides Arenam, seu Puteolanam aliaque materialia, & quæque necessaria ad reparationem civitatis ejusdem, tu, tuique hæredes, ut citius, & commodius reparari valeat liberaliter exponetis.

Universi autem comites, Barones, & Nobiles, ac omnes civitates, & specialiter Neapolitanæ, & Capuanæ, cunctaque Castra, Villæ, ac alia loca de Regno, & Terra prædictis, & omnes omninò Regnicolæ per te, tuosque hæredes in bono regentur statu, ipsisque boni usus, jura, & bonæ consuetudines servabuntur.

Centum millia verò librarum, quæ præfatus prædecessor tibi ad prosecutionem Negotii ejusdem Regni concedere, vel mutare promi-

lit, ut dicitur, Nobis, & Ecclesiae Romanae, tuo, & hæredum tuorum Nomine omnino dimittes, faciendo pactum, & sufficientem Cautelam de illis à te, vel ipsis hæredibus ulterius non petendis.

Verum Carissimus in Christo filius noster Illustris Rex Angliæ Pater tuus tuo nomine nobis, nostrisque successoribus, & Ecclesiae Romanae pro præfatis Regno, & Terra Juramentum fidelitatis sub forma inferius contenta præstabit, & in manibus illius, quem ad hoc specialiter destinamus, nobis, & ipsi Ecclesiae pro te ligium homagium faciet, & formam Juramenti hujusmodi seriatim per suas Patentes literas sub suo sigillo, & tua Bulla aurea nobis mittet: Tu verò cum ad ætatem quindecim annorum perveneris, Juramentum, & homagium hujusmodi personaliter renovabis; forma autem juramenti hæc est.

Ego plenum, & ligium Vassalagium faciens Ecclesiae Romanae pro Regno Siciliae, & tota terra, quæ est citra farum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiae, excepta civitate Beneventana, cum ipsius Juribus, & pertinentiis universis ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, & Domino meo Papæ Alexandro, suisque successoribus canonicè intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanae Ecclesiae; non ero in consilio aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione; Consilium verò quod mihi credituri sunt per se, aut per nuncios suos, sive per literas ad eorum damnum me sciente nemini pandam, & si si vero fieri, vel procurari, seu tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud pro posse meo impediam, & si impedire non possem, illud eis significare curabo; Papatum Romanum, & Regalia S. Petri tam in Regno Siciliae, quam alibi existentia adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

In optione quoque, & beneplacito erit Romanae Ecclesiae vel te, & hæredes tuos vocare ad præstandum, & faciendum personaliter sacramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici, & eidem Ecclesiae, dummodo ad hoc tibi, & hæredibus ipsis tutum locum statuatur, & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiae, seu alium, qui vice Romani Pontificis Sacramentum juxta formam quæ superius est expressa, & homagium recipiat destinare.

Cæterum donationes, concessiones, confirmationes, & privilegia à prædicto prædecessore, vel à nobis cum subscriptionibus fratrum nostrorum facta dilectis Filiis Nobilibus Viris Bertoldo, Oddoni, & Ludovico Fratribus Marchionibus de Houmbourch, firma ipsis, integra, & illibata manebunt, iidemque tenebuntur in bono statu, & eis concessa sibi libertates, gratiæ, cæteraque alia servabuntur, ac omnia donata, confirmata, & concessa eis à sede Apostolica per te confirmabuntur ipsis, & de novo etiam per tua Privilegia concedentur, ac privilegiorum Apostolicorum quæ super his habent, confirmatio eis, & de verbo ad verbum renovatio per te fiet.

Recti autem redditus horum omnium (exceptis senescalcia ejusdem Regni, & ipsius senescalcie redditibus in Apostolico privilegio expressis, ac mille quingentis uncis auri annuis eidem Bertoldo Marchioni quoad vixerit concessis) summam, seu valentiam quatuor,

ANNO
1255.

ANNO
1255.

millium unciarum auri annis singulis non transcendant.

Nolumus tamen si forte de iis tanta summa prædictis Marchionibus non proveniat annuatim, quod occasione hujus expressionis possint aliquid petere, ultra donata, & confirmata hujusmodi: vel concessa, pro quibus si quidam tibi, & hæredibus tuis ad servitia in Apostolicis expressa privilegiis teneantur eisdem etiam Marchionibus de damnis, & quibus ipsis satisfacere promissimus, nos ad hoc, & Romanam Ecclesiam obligantes, satisfactionem ad quam te obligabis impendes.

De donationibus verò, & concessionibus ab eodem prædecessore, vel à nobis de fratrum nostrorum consilio factis dilecto filio nobili Viro Comiti Castellæ, simile per te fiet, & servabitur, ita tamen, quod redditus ex iis provenientes, duarum millium unciarum auri annuatim valentiam non excedant.

Sanè prædictus Rex Angliæ Pater, & dilectus filius nobilis Vir Oodouardus frater tui, ac plures de Proceribus, & consulariis ipsorum, & tuis jurabunt, quod procurabunt pro posse, ac bona fide laborabunt, & facient, quod postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, juramentum fidelitatis pro prædicto Regno, & terra Romanæ Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ præstabis, ac propter hoc ligium, & homagium facies, & jurabis, & servabis quæcumque supra circa Articulos de Imperio continentur, & omnia promissa, prout scripta sunt superius, & expressa concedes, & approbabis, & acceptationem eorum, ac promissionem de servandis iis omnibus renovabis. Et præfatus insuper Rex pater tuus tuo nomine, ac tu etiam modo super horum omnium approbatione, acceptatione, concessionem, ac promissione de ipsis servandis, de recognitione, quod Regnum, & terram prædictam sub præfatis conditionibus recipitis, & tenetis à Romana Ecclesia facietis, & concedetis nobis, & ipsi Ecclesiæ privilegia, & tu cum ad prædictam quindecim annorum ætatem veneris, similia super hiis privilegia iterato, & de novo concedes. Esi forte quod abist, infra eandem ætatem decesseris, hæres tuus hæc omnia, si minor quindecim annis extiterit similiter faciet. Si verò major, vel quindecim annorum fuerit infra sex menses post decessum tuum, ista peraget, & complebit; quia quæ in iis, circa te supra, & infra dicimus, circa tuum etiam hæredem intendimus, & volumus esse dicta. Quod si per eundem Regem Patrem tuum tuo nomine, ac per te omnia, & singula super prædicta approbata, concessa, & acceptata, & Privilegia super his facta, & per venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Cantuarien. & Hereforden. ac Elien. Episcopos, & dilectos Filios Abbatem Westmonasterii, Joannem Mansel Præpositum Beduacen. ac Nobiles Viros Rodolphum filium Nicolai, Bertrandum de Olivet, & Rogerium de Torquelin, vel aliquos ex eis, aliis nequeuntibus, vel nolentibus interesse, ordinata, & stabilita, & per eundem Regem, & te admilla, & recepta sub illorum, & ipsius Regis ac tuo sigillis infra Kal. Decembris proximo venturas non fuerint super prædicta approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio, quas tibi & hæredibus tuis sub præmissis conditionibus facimus, nullius penitus sint valoris, sed vacuæ prorsus, & inanes existant, ita quod tibi, & hæredibus tuis in præfatis Regno, & terra nullum omnino jus tribuant, nullumque afferant commodum vel effectum, salvo tibi,

& hæredibus ipsis omni Jure, sibi quod tibi, & eis competit ratione præfate concessionis de Autoritate, ac mandato prædecessoris à memorato Notario, & etiam ratione prædictarum confirmationis, & concessionis ab eodem prædecessore nostro factam tibi, & ipsis hæredibus, sicut dicis, ac salvis etiam nobis, & Ecclesiæ Romanæ omni Jure, ac defensione, quæ nobis, & ipsi Ecclesiæ competunt contra illas. Prædictos enim Archiepiscopum, Episcopum clien. Abbatem Rodolphum, Bertrandum, & Rogerium loco dilecti filii nostri D. Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, & dilecti filii Electi Lugdunen. Præfati Magistri Alberti Notarii nostri, & Nobilium Virorum Thomæ de Sabaudia Comitis Petri de Sabaudia, & quondam Petri Cavepore Archidiaconi Villen. quia istorum, & prædictorum Episcopi Hereforden. & Joannis Mansel arbitrium in opposendis in hoc negotio conditionibus dictus Rex Pater tuus olim tuo nomine acceptavit, duximus de assensu ipsius Hereforden. tui, & ejusdem Regis Procuratoris, & Nuntii subrogandos pro eo quod prædictus Petrus Cavepore erat jam mortuus, & reliqui propter nimiam distantiam non possent commode, vel facile infra Kal. ipsas in Anglia convenire.

Si autem cum ad jam dictam ætatem quindecim annorum perveneris, & sacramentum fidelitatis Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ non exhibueris, & ligium eis homagium non feceris, & non juraveris ea quæ circa capitula de Imperio superius sunt expressa, & præmissa omnia de novo non acceptaveris, & concesseris, & privilegia super iis non renovaveris, vel non feceris iterato postquam requisitus de iis per sedem Apostolicam fueris, & post requisitionem hujusmodi per sex mensium spatium expectatus eo ipso ab omni Jure prædictorum Regni & Terræ cadas totaliter, & penitus illa perdas.

Sub præfatis igitur conditionibus eundem Hereforden. Episcopum, Nuntium, & Procuratorem tuum tuo nomine de Regno, & terra prædictis per anulum de consilio, & assensu fratrum nostrorum investivimus, quem in signum hujus investituræ tibi duximus destinandum, possessionem prædictorum regni, & terræ sub eisdem conditionibus procuratores assignantes eidem, & ab ipso postmodum recipientes tuo nomine possessionem eandem, quam utique pro te interim retinemus, ut cum per eundem Regem Patrem tuum tuo nomine, ac per te præmissa acceptata, & approbata fuerint, & per præfatos Archiepiscopum, & alios ordinata, & stabilita, secundum modum superius declaratum, & postquam etiam ea, quæ de expensis, & aliis inferius dicuntur, & experimuntur adimpleta extiterint, eandem Possessio ad te, tuosque hæredes libere revertatur.

Verum postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, & prædictis assenseris, ipsaque acceptaveris, si ante nihilominus per Regem prædictum, & te approbata, & per nominatum Archiepiscopum, & alios ordinata, & firmata ut præmissum est fuerint, Romana Ecclesia tibi, & hæredibus tuis si per vos de hoc extiterit requisita, concessionem de præfatis Regno, & terra de novo faciet sub conditionibus antedictis, illæ tamen, quæ poterunt interim totaliter, & finaliter adimpleri de ipsis fuerit medio tempore plenarie satisfactum, ita quod pro eis nihil amplius exigi possit, vel debeat in futurum minime inferentur.

ANNO
1255.

ANNO
1255.

Denique nominatus Rex pater tuus omnes expensas ab Ecclesia pro negotio d. Regni Siciliae factas hactenus, quae ascendunt usque ad summam centum. & triginta quinque millium. & quingentarum. & quadraginta. & unius Marcarum bonorum. novorum. & legalium Sterlingorum, in qua utique summa viginti millia Marcarum Sterlingorum similibus nobis, & fratribus nostris ex liberalitate oblata regia includuntur plenè restituet & persolvat, ac insuper de damnis, expensis, & interesse, ac aliis, quae hac occasione intervenient plenam satisfactionem impendet. Hujus autem summae solutio ita fiet videlicet, quod idem Rex decem millia Marcarum de praedictis viginti millibus usque ad festum Nativitatis Dominicae proximo venturum; Alia vero decem millia postmodum usque ad sequens festum S. Michaelis nobis, & eisdem fratribus exhibebit, & si forte in ipso festo S. Michaelis dictus Rex deputabit, & statuet aliquos idoneos, & sufficientes Mercatores acceptos nobis, qui pro praedictis residuis, & ultimis decem millibus se nobis, & eisdem fratribus obligent, & principales in iis constituent debitores, iidem Mercatores, si voluerint dilationem usque ad aliud Festum Dominicae Nativitatis primo sequens post idem Festum S. Michaelis pro praedictis residuis, & ultimis decem millibus persolvendis habebunt. Totam vero aliam summam expensarum factarum Rex ipse infra annum computandum à Festo Beati Michaelis proximo futuro persolvat integrè vel concedat, seu deputabit Mercatores sufficientes, & idoneos, scilicet Senen. vel Florentin. seu Bononien. vel alios de Italiae partibus Ecclesiae Romanae devotos, ita quod ipsis contenti simus, qui se sufficienter, & specialiter obligabunt ad solvendum hujusmodi summam infra terminum ipsum Nobis, & Ecclesiae Romanae, vel illis, quibus mandaverimus eam solvi, & se in eadem summa Nobis, & ipsi Ecclesiae debitores constituent principales.

Reservamus autem Nobis, & in nostra voluntate, ac potestate remanet dicere, pronuntiare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis de consilio, vel sine consilio fratrum nostrorum praedicto Rege, & te, ac alio etiam quocumque cujus forsitan interesset, nequaquam vocatis, & absque omni juris solemnitate supra dictas approbationem, innovationem, concessionem, & confirmationem, quas tibi, & haeredibus tuis, sub conditionibus facimus supra scriptis vacuas omnino esse, nullumque robur, vel valorem habere, aut revocare, cassare, & irritare ipsas, & cassas, & irritas nuntiari, si praefatus Rex dicta ultima decem millia Marcarum, saltem in his ultimis Terminis non persolverit, si forte ipsa omiserit solvere in primo Terminis, eorum solutioni praefixo ita quod post hujusmodi pronuntiationem, seu irritationem nostram, vel dictum praefatae approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio nullius sint, vel habeantur efficaciam, vel momenti salvo tibi, & tuis haeredibus jure si quod vobis competit ratione concessionis à supra dicto Notario, & obtentu confirmationis, & concessionis à praefato praedecessore factarum tibi, & ipsis haeredibus, sicut dicis, omni jure, ac defensione, quae nobis, & Ecclesiae contra tales concessionem, & confirmationem competunt, salvis semper manentibus, & illaesis.

Idem autem Rex veniet, vel transmittet Capitaneum cum militia competenti, secundum negotii qualitatem, quod si non venerit, nec taliter miserit in praedicto termino videli-

cet usque ad annum computandum à Festo beati Michaelis proximo futuro, in nostro reservamus beneplacito, sine approbatione, innovatione, concessionem, & confirmationem praedictis simili modo procedere, & proferre, nequaquam tamen veniat, vel miserit, nec praedictum Regnum Siciliae, nec possessionem ipsius recipiat, nisi prius de praefatis tota summa, & viginti millibus marcarum, juxta praescriptum modum satisfecerit infra terminos videlicet supra dictos, quod si venerit, vel miserit, satisfactionem primitus de iis omnibus plene facta praedictae approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio habeant firmitatem, dictumque tuo nomine recipiat Regnum, & possessionem ejusdem, dummodo, & alia omnia, & singula supra scripta approbata concessa, & acceptata, ordinata, & stabilita infra praefatum ad hoc terminum prius extiterint, sicut superius plenius est expressum, & memoratus Odouardus frater tuus, ipsius Regis primogenitus, primo fecerit, quod ab eo faciendum erit, ut inferius continetur.

Si vero Rex ipse ante confirmationem ejusdem negotii debitum, quod absit, carnis persolverit, praedictus Odouardus dictum negotium efficaciter prosequetur, & idem Rex procurabit, & faciet, quod praefatus Odouardus se ad id specialiter obligabit. Quod si ad hoc se non obligaverit, & non fecerit in hac parte, ea quae super iis facere Rex ipse deberet, ut supra narratur, in nostra remanet potestate pronuntiare super approbatione, & aliis praedictis, sicut superius est praemissum. Et nihilominus si praefatus Rex, praemissa omnia non solverit, vel de illis non satisfecerit, ut dictum est supra, vel si non venerit, nec miserit, aut si idem Odouardus praedicta non fecerit, ipse Rex, & ejus haeredes super pecunia quam supra dictus Episcopus Hereforden. Procurator, & Nuntius suus mutuo ejus recepit nomine, & pro negotii prosecutione persolvit: & super pecunia etiam, quam deinceps idem Rex pro eodem exhibebit negotio nullam contra Nos, & Ecclesiam, seu quemquam alium repetitionem habebunt, nec aliquam actionem, sed ex toto illas amittent, eritque dictus Rex eo ipso excommunicationis vinculo innodatus, & totum Angliae Regnum Ecclesiastico suppositum interdicto. Ministrabit quoque dictus Rex pro posse suo ex nunc Ecclesiae ad prosequendum idem negotium expensas faciendas usque ad praemissum terminum, scilicet usque ad annum à Festo S. Michaelis Archangeli proximo venturo, & ad id se, filios, ac haeredes suos, nec non & Regnum Angliae, & omnia alia bona sua specialiter obligabit, & si ultra id, quod ipsi ministraverit Ecclesiae, sumptus aliquos vel expensas in acquisitione, vel conservatione Regni Siciliae vel terrarum ipsius fecerit pro hujusmodi sumptibus, & expensis terram monasterii Casinen. terram laboris terram Principatus Basilicatam, & terram Beneventan. liberè, ac pacifice ipsa tenebit Ecclesia pignori obligatas; Nec idem Rex, neque tu Ecclesiam ipsam super iis Terris molestabit aliquatenus, vel turbabit, donec de hujusmodi sumptibus, & expensis fuerit eidem Ecclesiae ab ipso Rege, vel à te plenariè satisfactum. Et si Ecclesia ipsa ultra fructus, & proventus, quos de praedictis Terris percipiet aliquos sumptus fecerit in tenendis, & defendendis, & conservandis eisdem ipsas propter hoc etiam tenebit quousque plenè sibi de talibus sumptibus satisfiet, & nihilominus idem

ANNO
1255.

Rex

ANNO
1255.

Rex se ad restituendum Ecclesie istos sumptus, quos ipsa pro acquisitione, & conservatione Regni, & pro tenendis, & defendendis predictis terris faciet sufficienter, & specialiter obligabit se, suumque Regnum, ejus terras nostrae, ac sedis Apostolicae Jurisdictioni quoad haec totaliter supponendo.

Proventus vero, ac obventiones qui de praefato Regno Siciliae medio tempore ad manus Ecclesiae pervenient tibi vel cui volueris deductis ex inde necessariis expensis integre solventur. Sed super quantitate, seu valore horum proventuum & obventionum, ac etiam fructuum & proventuum dictarum terrarum solum dicto nostro stabitur, & adhibebitur firma fides, nec exigetur, vel requiretur super hoc alia certitudo.

Ceterum reservamus Nobis quod prout utilitas, & necessitas exegerit, donationes, & concessionem in Regno aliquibus de ipso, de quibus expedire viderimus conscio eo, qui pro praedicto Rege, vel pro te apud sedem Apostolicam, vel in Regno ipso remanserit, facere interim valeamus.

Porro si cum Manfredo quondam Principe Tarentin. & aliis Emulis, & Hostibus ipsius Regni aliquam compositionem vel concordiam, seu conventionem fecerimus tibi nihilominus, & tuis haeredibus Jus, in eodem Regno Siciliae remaneat semper salvum, nec per compositionem concordiam, & conventionem hujusmodi juri tuo aliquatenus derogetur.

Hac autem omnia, & singula placuerunt praefato Episcopo Hereforden. tuo, & ipsius Regis Nuntio, & Procuratori, & in his plena, & stabili voluntate consenserunt.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, innovationis, concessionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Locus Monogrammaris.

Sanctus Sanctus
Petrus Paulus
Alexander
Papa IIII.

Domine servum tuum in Bonum suscipe.

Ego ALEXANDER Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Ego Stephanus Praenestinus Episcopus.

Ego frater Johannes tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego frater Hugo tituli Sanctae Sabinae Presbyter Cardinalis.

Ego Ricardus sancti Angeli Diacon. Cardinalis.

Ego Octavianus Sanctae Mariae in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Willielmus Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis.

Dat. Neapoli per manum Guillelmi Magistri Scolarum Parmen. Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellarii, quinto idus Aprilis, indictione decima, tertia incarnationis Dominae Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Pontificatus vero Domini Alexandri Papae quarti Anno Primo.

Sub filis Sericis flavi rubeique coloris.

ANNO
1257.

III.
Ex Anecd.
Martene
Tom. I. col.
1086.

Ad Magistrum Generalem, Prioresque Ordinis Praedicatorum; quod dati in socios quibusdam Praelatis possint corrigi, & ad ordinem revocari: anno 1257.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Prioribus provincialibus, eorumque Vicariis Ordinis Praedicatorum salutem & Apostolicam benedictionem.

Sacrae Religionis vestrae fama clarissima est ab universis, & singulis ipsam profitentibus mente vigili conservanda, sed ab illis potissime; quos pro causis legitimis oportet aliquando se de suis conventibus sicut obedientiae virtus exigit absentare. Sanè nonnulli ex fratribus ordinis vestri, qui venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis quandoque in sociis deputantur, illa, prout accepimus, praesumunt saepe committere, quae in ejusdem ordinis scandalum, & in suarum vergunt periculum animarum. Cum itaque super hac per sedem Apostolicam deceat salubriter provideri, nos devotioni vestrae, praesentium auctoritate concedimus, ut singuli vestram illos ex Fratribus eisdem, de quibus auctoritate literarum sedis Apostolicae, vel Legatorum ejus dictis Archiepiscopis, vel Episcopis, vel quibuscunque aliis est provisum, aut contigerit in posterum provideri, corrigere, ac etiam, non obstante conditione aliqua possint ad eundem ordinem revocare. Monemus tamen vos, & hortamur, quod si postmodum iidem Archiepiscopi, & Episcopi apud vos, vel aliquem vestrum pro habendis in societate ipsorum aliis idoneis fratribus duxerint insistendum, eorum in hac parte desiderio annuatis, dummodò id vobis conveniens, & expediens videatur. Ceterum per literas Apostolicas jam obtentas, vel in posterum obtinendas, quae de praesentibus plenam, & expressam non fecerint mentionem, nullos de fratribus ipsius ordinis praefatis Archiepiscopis, & Episcopis in socios teneamini deputare, nisi hoc honestati ordinis, & illorum saluti videritis expedire.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem &c.

Datum Viterbii 5. Idus Junii Pontificatus nostri anno tertio.

Edwardo Primogenito Regis Angliae invasionibus Tartarorum resistendi potestatem largitur: anno 1260.

IV.
Ex Arch.
Angl.
Rymer Tom.
I. pag. 716.

ALEXANDER QUARTUS,

Dilecto filio, Nobili Viro Edwardo primogenito carissimi in Christo filii nostri, Regis Angliae illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Clamat in auribus omnium, eosque, quos animorum torpor non hebetat in attentionis vigilantiam excitat horrendi praeconii tuba terribilis, quae fide rerum attestantium invalescens adeo certo sono generalis

cladis

ANN O
1260.

cladis bella prænunciat, quibus flagellum iræ celestis in manu immanium Tartarorum, quasi ex abditis erumpentium inferi finibus premit, & conterit orbem terræ, ut jam non oporteat Populum Christianum ad cognoscenda hæc, quasi adhuc ambigua, certiori relatu aures arrigere; Sed eam, ut ingruenti, & publicè festinanti providè occurrat periculo admovere.

Cum enim iidem Tartari dicentes, quod totam Terram eis obtinendam tradidit Deus cœli, quem utique non noverunt, jam omnibus orientis Partibus occupatis, & populis conculcatis, jam Saracenorum duritia, quæ multorum temporum Bella tulit extrema pene desolatione concussa, jam Principali eorum Civitate Baldach, Damasco, atque Alapia, cum plurimis aliis famosis eorundem Regionibus captis hostiliter, & everfis, nec non, & Calipho Infidelitatis ipsorum Principe, ac maxime Populi ejus multitudine postquam eos, ut dicitur in dedicationem receperant interemptis ad Regni Jerlimitan. fines pervenerint, eosque impetant invadendos Christiano Regno Armeniæ, Antiochia, & Tripoli, famosis Christianorum urbibus, pro pudor! suo nomine subjugatis, cumque à Parte septentrionali, per Ungariam, atque Poloniam, Imperio Romano conterminas, ubi, pro dolor! non parum Christiani sanguinis profuderunt, valida in populis illarum partium cæde bachati hostilem attentent aditum in Europam, ubi fortia Christiani capita contere cogitant, & Regum Tronis everfis sedibusque Potentiam, sibi totius orbis ascribere Monarchatum.

Potius est contrà incumbentia è vicino periculo de opportunis remediis cogitandum, quàm eorum certior, & serior enunciatio expectanda, omnis igitur est securitatis, ac tarditatis ignava submovenda socordia, quæ periculorum improvidos ad perniciem preparat, & disponit, & urgentissimo attentionis stimulo eos præcipuè convenit excitare, qui præsumunt, ne sub manu eorum repentina invadat calamitas homines inertis negligentia soporatos, quia ruina malorum imminet, prius interdum, quàm in sollicitudinis curam evigilent, obruuntur; Quemadmodum prædictis Sarracenis, aliisque innumeris nationibus, quas destitutas Prudentiæ Consilio, & indignas celesti Præsidio, prædictorum Tartarorum invasit oppressio, noscitur contigisse.

Palam est enim, quod pestilentior perniciæ, & perniciosior pestis ad quiescentes ingreditur, & securos; Et Deum tempto imminente periculo, qui illud in præsumptuosa celestis auxilii confidentia, negligit humanæ providentiæ remediis prævenire.

Nos igitur attendentes in eorundem Tartarorum manu adversus Peccata humani generis divinæ indignationis sævire flagellum, quæ tamen erga fideles magnum ostendit pietatis indicium, dum Nobis illud imminere noluit improvifum; sed ut divinæ placationis antidoto, & Providentiæ Consilio excludi valeat diù antè provifum: ac de Clementis Dei Misericordia confidentes, quod si visitaverit in virga iniquitates suorum, & peccata eorum in verberibus disciplinæ, misericordiam suam tandem non abscidet ab eis.

Cogitavimus cum Fratribus nostris, quemadmodum à Nobis exposulat speculæ Pastoralis officium, cui licet immeriti præsidemus, contrà idem flagellum utilia salutis remedia ordinare, & quidem pro talis necessitatis tam universalis articulo, videbatur non solum Ec-

clesiasticorum, sed, & secularium Principum, & fidelium populorum generale concilium convocandum, ut de communi omnium discrimine, ac provisionis opportuna remediis, ad quæ solas ecclesiæ vires liquet non posse sufficere intentis singulorum sensibus, communis deliberatio haberetur.

Hæc etenim causa neminem præterit communissima omnium, & privatissima singulorum, quia etsi tangat maxime maximos (à quibus primum ordini solet instantis cujusque desolationis initium, ut cæteri facilius veit acephali, & dispersi ad perniciem adducantur.) Unumquemque talem specialiter de universitate contingit, ruinam, & statum, mortem, & vitam continens singulorum. Nam apud eosdem Tartaros Patrocinium nulli præstat fortunæ conditio, vel sexus infirmitas, aut ætatis miseratio seu reverentia dignitatis, qui non quorundam, sed omnium exitia, & exterminia moliuntur, nulli pacti federis fidem servant, quam quidem habere nequeunt infideles, propter quod dum simulant se ad Christianos privatæ affectionis habere propositum, hoc ipso magis est Christianis astutiæ fraudolentiæ illorum laqueus, quem hujusmodi simulationis Pallio subtegitur præcavendus, quia eos subtilioribus dolis supplantare conantur, quos invenire credunt ad repugnantiam fortiores.

Verùm quia ipsis Tartaris nequitæ suæ proposito vigilanter instantibus dilationis diuturnæ non capit res ista dispendium, & absque longi temporis tractu gravaminibus personarum rerumque detrimentis, convenire nobiscum universitas concilii non valeret; Necessitati, qua generalitas premitur de prædictorum consilio fratrum ad præsens duximus hoc compendio consulendum, ut in singulis Regnis, atque provinciis fideles moneantur attendere causas illas propter quas præcipuè ad Sarracenos, & alias nationes cum eisdem Tartaris, pestis desolationis intravit.

Offensam videlicet altissimi Domini Dei nostri, cujus contrà se subjectæ à perfidis Nationes perfidiæ Judicium irriterunt.

Defectum insuper humanæ providentiæ, qui eis segnitia, inertiaque sepultis, & varia ad invicem seditione dijectis opportuna remedia defensionis ademit, quatinus ipsi fideles de alienis periculis sumpta cautela, medelis contrariis à malis imminetibus præserventur.

Propter quod carissimum in Christo Filium Nostrum Regem Anglorum illustrem per literas nostras sub certa forma rogamus attentius, & hortamur, ut habito colloquio cum Baronibus, & Magnatibus Regni sui adversus tam direæ cladis perniciem fidelibus imminetent curet mansuetudinis Regiæ pietate prospicere quo modo, quo ordine, quibusque consiliis ad resistendum eisdem Tartaris, confluentur in unum vires populi Christiani.

Denique super omnibus deliberatione habita diligenti, usque ad octavam Apostolorum Petri, & Pauli Apostolorum proximo futuram, quoniam profusus tempus rei necessitas, absque periculo non admittit ad sedem Apostolicam destinet Nuncios suos, viros providos, & prudentes, per quos nobis super his regiæ circumspectionis voluntas, & consilium innotescant, & quorum communicato consilio, Apostolica sedes providè disponat, & ordinet quidquid in tam arduæ necessitatis negotio, publicæ salutis utilitas suadebit.

Quocirca Nobilitatem tuam monemus rogamus, & hortamur attentè, per Apostolica tibi

ANN O
1260.

ANNO
1261.

scripta mandantes quatenus cum tua interfit de tam communi cogitare discrimine, quo utique tangeris, tamquam egregia portio universi eidem Regi super præmissis, quod circa prædictum negotium publice expedire cognoveris, sano studeas consilio Deum, & universalem causam habens præ oculis suadere.

Dat. Lateran. 17. Kal. Decembris Pontificat. nostri anno sexto.

Plumbeo sigillo à filo Canabeo.

I.
ADDENDA
pag. 53.
Ex Archiv.
Angl. Rimer
Tom. I. pag.
731.

Bulla Regi Angliæ super gravaminibus illatis Hiberniæ Clericis per Ministros Romanæ curiæ: anno 1261.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo filio Regi Anglorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

PRÆ ceteris rebus quibus Christiana Regna fundantur solidius ea statuit status Ecclesiasticæ libertatis.

Propterea cum de illo præservando in terrarum Ditioni subjecta, & præsertim in civitate, Dioc. & Provincia Dublinen. ubi status ipse novæ malignitatis adinventionibus, prohi intelleximus injuriosè deprimitur admonemus.

Advertere debet regalis providentia sibi non tam aliena, quam propria, imo communia commoda suaderi, & quoties illos, qui eundem statum in suis Juribus, aut interdum in favore tui nominis (non tamen tuæ ut credimus pietatis motum, sed propriæ voluntatis imperum prosequentes) illidunt vigore discretionis Ecclesiasticæ cohibemus, intelligas tunc non lædi, sed geri salubriter in tutela fidei curam tuam.

Sanè, ad audientiam Apostolatus Nostri pervenit, quod in civitate Dioc. & Provincia supra dictis de antiqua, & approbata, & hæcenus pacificè observata consuetudine, & obtentum, ut Venerabiles Fratres Nostri Dublinen. Archiepiscopus, ejusque suffraganei, & officiales ipsorum, ac alii Judices Ecclesiastici eorundem civitatis, Dioc. & Provinciarum (ad quos de hujusmodi consuetudine causarum cognitio pertinet) de causis quas super pecuniarum summis, seu possessionibus inter Laicos sibi subditos verti contingit, possint cognoscere dummodo pactum firmatum fide, vel juramento intervenerit inter partes.

Et si aliquis Laicus conqueritur coram illis, quod quisquam Laicus eorum subditus ipsum super aliquo crimine diffamaverit, iidem super hoc de hujusmodi consuetudine judicant, & cognoscunt.

Clerici quoque injuriatores suos Laicos confueverunt à tempore cujus memoria non existit coram Ecclesiasticis judicibus convenire.

Sed Justiciarii, & Ballivi tui in Hibernia, quominus Archiepiscopus suffraganei officiales, & Judices prædicti de hujusmodi causis cognoscant, & judicent contra justiciam impedire præsumunt; prohibentes (quod nequius est) ne Clerici Clericos in causis pecuniariis, aut Ecclesiarum Rectores super aliquibus cappellis ad Ecclesias ipsas spectantibus, aut super decimas aliarum Ecclesiarum Rectores coram Judice Ecclesiastico convenire præsumant.

Iidem etiam judicarii, & Ballivi, non permittunt quod condemnati legitime per Archi-

episcopum, suffraganeos, & alios prædictos, aut alios Judices, etiam à sede Apostolica delegatos, propter contumaciam, vel offensam in aliqua pecunie quantitate ad solvendam condemnationem hujusmodi compellantur, sive quod Archiepiscopus, suffraganei, vel alii prædicti cognoscant de causis usurariis, vel puniant usurarios secundum Canonica instituta, seu quod de usuris, adulteriis, aut aliis criminibus inquirent; prout ad eorum officium noscitur pertinere de Jure, ac consuetudine supra dicta.

Porro si inter Virum, & uxorem per Ecclesiasticum Judicem celebrato divortio coram eo super dote restituenda quæstionem oriri contingat, prædicti Judicarii, & Ballivi, ne dictus Judex virum ad restituendam dorem mulieri compellat, prohibent pro sua libito voluntatis, quamquam cognitio causarum hujusmodi ad Ecclesiasticum Judicem pertinere noscatur, tam de hujusmodi consuetudine, quam de jure.

Præterea si aliqui cives, vel Burgenses in aliqua civitate, vel Burgo, aliquam domum, vel fundum, aut prædium Urbanum, ad eos pertinentes (qui Burgasia vulgariter appellantur) alicui Ecclesiæ sive religioso loco in ultima voluntate legant pietatis obtentu, præfari Judicarii, & Ballivi, ne Judex Ecclesiasticus executores testamentorum civium, & Burgesium eorundem ad exequendam in hac parte voluntatem extremam testamentorum ipsorum compellat, prohi de præfata consuetudine est obtentum impediunt nimis justè.

Cæterum si aliqui Laici ascripti Electæ (qui Betagii vulgariter appellantur) aliqua de Bonis suis Ecclesiasticis, vel religiosis, aut piis locis legant pietatis intuitu in voluntate sæpe dicti Judicarii, & Ballivi impediunt, ne per ipsos Archiepiscopus suffraganeos, & Judices, sicut de præfata consuetudine obtenta est in hoc voluntas Testatoris executioni mandetur.

Ad hæc si dictis Archiepiscopo suffraganeis, & Judicibus inhiibeas ne ulterius procedant in aliqua causa de qua cognoscere inceperint, iidem Judicarii, & Ballivi ipsos pro eo, quod de causa inceperint cognoscere etiam hujusmodi inhibitioni paruerint puniri præsumant pæna pecuniaria, & interdum carceri mancipare.

Insuper prælibati Judicarii, & Ballivi Archiepiscopus suffraganeos & officiales prædictos, si per inquisitionem factam super hoc contra eos eos constiterit, quod ipsi cognoverint de aliquibus causis, quæ non fuerint matrimoniales, vel Testamentariæ, pecuniaria pæna multare, & interdum eosdem in carcere detinere præsumunt.

Quod si aliquem Judicem Ecclesiasticum occasione alicujus quæstionis qua vertitur coram eo, contingat in aliquem Laicum exigente justitia, excommunicationis sententiam promulgare, Laicus ipse eidem Judici per dictos Justiciarios, & Ballivos exhibere procurat ne in hujusmodi causa procedat.

Post inhibitionem autem hujusmodi dictus Laicus non vitatur tamquam excommunicatus prohibentibus in prædictis Justiciarii, & Ballivis.

Cum igitur regalem magnificentiam in suis libertatibus, & antiquis consuetudinibus fovemus libenter, & quantum cum Deo possumus toleremus; quia Deo, ut nobis pari vice respondere te convenit Serenitatem Regiam regendam duximus attentius, & hortandam quatenus prædictos Judicarios, &

ANNO
1261.

ANNO
1263.

Ballivos à Violatione libertatis Ecclesiasticæ, nec non ab usurpatione Iurium Divinorum præcipuè in præmissis (ad quorum tutelam Distributor Regnorum omnium temporali gladio te accinxit) ac molestatores personarum Ecclesiasticarum Regali Autoritate compescas.

Preces & exhortationes nostras taliter impleturus quod exinde salvatorem tuum, qui Ecclesias suas proprii Sanguinis pretio libertate donavit, tibi, tuæque Proli, & Regno propitium habeas, & Nos in his, quæ sublimitati vestræ utilia sunt, & placita redamur exinde merito promptiores.

Et quia timemus ne tu, nisi corrigas hæc, nosque tecum, si illa dissimulaverimus incorrecta, in durius severitatis Divinæ Iudicium incidamus, quod hi, qui terram iudicant, debent, (ò Rex) potissimum formidare, Venerabili Fratri Nostro Episcopo Drumimorensi, & Dilecto Filio Priori Fratrum Prædicatorum de Ponte Armachan. Dioc. per Nostras damus literas in mandatis, ut (si est ita) dictos Iudiciarios, & Ballivos, quod Archiepiscopum Suffraganeos, & Iudices supra dictos de præfatis causis libere cognoscere, & eas exequi patiantur, prout eis de Iure competit, & consuetudine supra dicta, & à qualibet super præmissis eorum, & aliarum Ecclesiarum, Personarum Civitatis, Diocesis, & Provinciæ prædictarum, in debita molestatione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam Appellatione postposita compellant.

Sub Plumbeo Sigillo pendente à Filo Canabeo.

Datum Viterbi 1. Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno primo.

II.
Ex Archiv.
Ang. Rymer
Tom. I.
pag. 762.

Citatio Ricardi Romanorum Regis ad sedem Apostolicam super controversia Electionis inter ipsum, & Alfonso Castellæ Regem: anno 1263.

URBANUS QUARTUS,

Ricardo in Romanorum Regem Electo.

Qui Cælum Terramque regit is nimirum Cæli novit ordinem, & in Terris potest cælestis ponere originis rationem.

Is exempla de superioribus ad inferiora derivans, sicut in Firmamento Cæli duo luminaria magna constituit, ut Mundum vicibus suis illustrent, & sic & in Terris maxima dona sua, Sacerdotium videlicet, & Imperium ad plenum spiritualium, mundanorum regimen ad firmamentum Ecclesiæ militantis instituens, utriusque potestatis ita discrevit officia, ut eorum officiosa diversitas nulla sibi adversitate dissentiat; Sed in Commissi executione Regiminis, ex officii debito in Voti unitate concordet, & ipsorum procul dubio, profutura concordia alterutrius fulta præfidiis, ac utriusquemutuis fora favoribus opus Justitiæ liberius operetur Pacem Mundo pariens, tranquillitatem inducens, & nutriens unitatem.

Imperium siquidem ad salutem Sacerdotali Autoritate dirigitur, & ipsius adjutum suffragiis, sedatis procellosis interdum imminenti tempestatum turbinibus, tranquillum redditur, & quietum.

Sacerdotium verò pium, ac tutum debet habere Refugium Imperialem Mansuetudinem,

ANNO
1263.

cum sua Veneratione conjunctam, ut Imperii Romani fastigium, & ejus culmini præsidens, specialis Advocati, & Defensoris præcipui circa Ecclesiam gerat officium, & in ipsius fortitudine brachii defensentur Ecclesiæ libertates, & jura manuteneantur, ipsarum extirpentur hæreses, cultus Christianæ Fidei amplietur, & inimicis consternatis ejusdem in pacis pulchritudine sedeat populus Christianus, & in requie opulenta quiescat.

Verum Humani generis inimicus, Pacis impatiens, amator litium, discordiæ seminator, utriusque profectibus invidens claræ memoriæ Villielmo Romanorum Rege rebus humanis exempto inter te & Carissimum in Christo Filium Nostrum Regem Castellæ, ac Legionis Illustris in Romanorum Regem electum, circa obtinendam ejusdem Imperii dignitatem contentionis materiam suscitavit, ut vobis circa hoc contententibus, careret Imperialis regiminis commodis Orbis Terræ, & tanti Brachii, tam utilis, tam necessarii, tam clari, carentiam, ex ipsius Imperii vacatione diutina, molestatam, admodum, & nocivam, damnosa experientia Ecclesia prædicta sentiret.

Sentit utique, sentit Mater Ecclesia tam Populi sibi commissi, quam suam gravem de hujusmodi contentione jacuram; eventit namque perversorum audacia, & ipsorum abundante malitia, dum eodem vacante Imperio, ipsi Ecclesiæ defensionis debita suffragia subtrahantur, liberius peccatis insistitur, hæreses pullulant, scandala suscitantur, multiplicantur cædes, & trages, injuriæ invalescunt, in persecutionum turbinibus Petri navicula fluctuat, & interdum, qui fidelium ipsius censi nomine gloriantur in Arcum perversum fidei debitum non versando, conversi, eam in suis juribus injuriosè impetunt, & molestant, illa nunc denegando pro libito, nunc illicitè occupando.

Propter quod eadem Ecclesia non immeritò hujusmodi vacationem deplorat imperii, & de Animarum periculis, quæ peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens suspiria, ingemiscit.

Ex eo insuper quam durè? quam graviter? materna ejus viscera quatuntur, quod ipsa tam charos Filios, tam inclitos Principes in suo sentiens utero collidentes, prudenter advertit tuam, & prædicti Regis potentiam, in Christo blasphemos, & inimicos Nominis Christiani, potenter, & magnificè more solito exercendam in proprium, & grande Domesticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari.

Hæc ergo, & alia incommoda dissentionis hujusmodi eadem Ecclesia Materno pensans affectu, in iis auxilii sui dexteram non subtraxit, sed vigilavit attentius, attentione sollicita vigiliter intendit, multaque sollicitudine pervigil laboravit, ut discrimibus tantis occurreret, reque, ac ipsum Regem à discordiarum dispendiis præservaret.

Et licet inter vos Iudicis Partis assumere non sine causa distulerit, præsertim, cum tam tui, quam ipsius Regis nuncii in recordationis Felicis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, nostra, & Fratrum presentia nostrorum constituti super prædictis Iudiciis Apostolicæ sedis examen expresse usque ad hæc tempora declinarint.

Dilationem tamen hujusmodi illa etiam utilitatis utriusque Partis consideratio, &

A N N O
1263.

paternæ pietatis cautela, pro vobis consilium capiens, persuasit, ut vestris animis ad hoc habitatis, interim ad reformanda inter vos amicitie federa congruentia tempora captarentur, & remedia promptiora pararentur.

Per quæ discordiæ occasione sublata, vos glutinum solidæ caritatis uniret, ac in vestræ soliditate concordiæ, quam tractatus, qui super hoc inter vos dicebantur haberi, promittere videbantur, sub sui Principis Ducatu pacifico, daretur eidem sabatissimo Imperio; & sedatis scandalis, ipsius subditi quietis optata iudicanditas proveniret, pestis exterminaretur hæretica, animarum pericula vitarentur Ecclesia, caesareo munita præsidio, ab hostibus erepta, de persecutorum incurfibus respiraret, ac eorum, qui sub stimulatæ fidelitatis audacia, nocent fidentius, temeraria nocendi confidentia refrenata, suorum iurium integritate gauderet.

Hæc quidem hætenus expectavimus anxii hæc desideravimus anxia expectatione diutius in his prædecessoris nostri, & fratrum nostrorum sollicitudo non defuit, secundum Apostolicæ circumspectionis iudicium de contingentibus nil omittens.

Et quamquam, ut Votis Nostris satisfaciat in hac parte, huiusque non fuerit ex alto concessum, tamen ad id semper nostra suspiravit intentio, ad id plenis desideriis anxiamur, non proponentes à ceptis desistere, quin circa negotium huiusmodi, sub spe illius, qui facit magna, & inscrutabilia, qui facit concordiam in sublimibus, prosequi pacis fœmitas intendamus, quidquid per Nuncios, & Procuratores partium coram Nobis novissimè his diebus propositum, petatum fuerit, & responsum.

Et quidem Venerabilis Frater noster Laurentius Episcopus, & dilectus filius Vilelmus Archidiaconus Rossen. ac Robertus de Baro (Procuratores, & Nuncii tui, à te plenariam potestatem habentes, ut in nostro Consistorio tua proponerent negotia, & peterent cum solemnitate, qua conveniret, vocationem tuam solemniter ad coronam, ac universa, & singula circa hæc gererent, agerent fideliter, ac procurarent, quæ per vestros Nuncios, ac Procuratores ad hoc specialiter deputatos legitime possent agi peti, & etiam procurari) coram Nobis, & eisdem fratribus proponere curaverunt quasdam consuetudines, circa electionem novi Regis Romanorum (in Imperatorem postea promovendi) apud Principes vocem in huiusmodi electioni habentes, qui sunt septem numero, pro iure servari, & fuisse hætenus observatas à tempore cujus memoria non existit.

Secundum quas infra annum, & diem postquam vacat Imperium talis debet electio celebrari, quacumque parte ipsorum Anni, & diei, quam ad hoc iidem Principes duxerint deputandam.

Et ad Archiepiscopum Moguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, vel ipsorum aliorum, altero nequeunte, vel forsitan non volente pertinet ad electionem ipsam celebrandam diem præfigere, ac cæteros Electores Principes convocare: Quibus omnibus, vel saltem duobus ex ipsis die præfixa convenientibus, apud oppidum de Frankenford intus, vel extra ipsum oppidum, quod dicitur Frankeferde (loco quidem ad hoc deputato specialiter ab antiquo) ad electionem ipsam procedi potest, & debet secundum morem ipsius Imperii approbatum.

Et electione taliter celebrata, electus si electioni consenserit apud Aquisgranum per dies

aliquot facta mora infra annum, & diem post celebrationem eandem quando electus voluerit per Coloniensem Archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, iungatur, consecratur, & etiam coronetur.

Quo facto cuilibet via præcluditur contra electionem, vel electum jam Regem Romanorum effectum dicendi aliquid, vel etiam opponendi, sed idem electus, prædictus prædicto modo inunctus consecratur, & coronatus pro Rege habetur: Et ei, tamquam Regi debent à subditis iuramenta præstari, assignari civitates, oppida, castra, & specialiter castrum de Treveles, ac aliqua Jura Imperii infra annum, & diem à tempore coronationis ejusdem; Ità quod si qui de Vassallis Imperii ei homagia non præstiterint consueta, & non reddiderint civitates, castra, & alia prædicta, illis, quæ ab Imperio tenent sint eo ipso privandi.

Et si votis Principum ad quos spectat eligere ad eligendum convenientium, divisus in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, vel ad prædictum Comitem Palatinum, tamquam ad huiusmodi discordiæ iudicem est recursus habendus; ni forsitan super electione, vel coronatione huiusmodi suborta discordia, per appellationem, vel querelam prædictorum Principum ad Examen sedis Apostolicæ (quo casu ipse est in tali causa cognitio) deferatur.

Intelligitur autem is electus esse concorditer in quem vota omnium Electorum Principum, vel saltem duorum tantummodo in electione præsentium diriguntur.

In discordia verò is etiam reputatur electus, de quo in loco non solito electio celebratur, & in termino de communi consensu dictorum Principum non statuto, quem si forsitan prædicti Principes infra annum, & diem à tempore vacantis Imperii, concorditer statuunt, licet non expriment, quod ipsum peremptorium esse debeat, terminus tamen ab eis præfixus taliter peremptorius reputatur.

Porò iidem Procuratores iis, & aliis quibusdam prælibatis consuetudinibus, adiecerunt, quod vacante Imperio Romano, die per omnes prædictos Principes, pro celebranda Regis Romani in Imperatorem postea promovendi electione, statuto in octavis Epiphaniæ anno Domini millesimo, quinquagesimo sexto apud memoratum oppidum Frankeford quinque tantum de dictis Principibus tunc per se, tunc per alios.

Videlicet Bonæ Memoræ Colonienfis Archiepiscopus pro se, & Bonæ Memoræ Maguntinus Archiepiscopus, ea vice, in hoc commiserat vices suas, & dilectus filius nobilis Vir Comes Palatinus, apud Frankeford.

Bonæ memoriæ verò Treverensis Archiepiscopus, & dilectus filius Nobilis Vir Dux Saxonie intra dictum oppidum convenerunt.

Cumque iidem Treverensis Archiepiscopus, & Dux Saxonie præfatum Archiepiscopum Coloniensem, & Comitem, nec ipsum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire vellent, super hoc sæpius requisiti, dicti Archiepiscopus Colonienfis, & Comes, attendentes ex lapsu temporis periculum imminere, si forsitan non fieret electio illa die, quæ ad hoc fuerat peremptorie constituta, præsertim cum de anno, & die post vacationem Imperii, quindecim dies solummodo superessent (infra quos nullo modo potuissent, propter locorum distantiam, & alias facti circumstantias præfati Principes iterum convenire) cum

A N N O
1263.

ANNO
1263.

prælati, Ducibus, & aliis ibidem præsentibus deliberatione præhabita de ipsorum communi Consilio, & assensu, ad electionem procedere decreverunt.

Et tandem præfatus Colonienſis pro ſe, ac dictis Maguntino, cujus vices gerebat, & Comite præſente, ac conſentiente divino nomine invocato te in Regem Romanorum elegit, & mox electionem huiusmodi Magnatum, & aliorum aſtantium copioſe multitudini publicavit.

Cui electioni, per cariffimum in Chriſto Fiſium Noſtrum Regem Bohemia illuſtrem poſt paucos dies, conſenſu præſtito, demum tu ad tuorum Electorum, & aliorum Imperii Optimum, qui propter hoc ad te in Angliam acceſſerunt inſtantiam, & requiſitionem inſtanti eadem electioni, poſt diligenter ſuper hoc tractatum habitum, conſenſiſti.

Ac perſonaliter Alemania Regnum ingreſſus, & moram apud Aquisgranum quantum decuit faciens, nec inveniens reſiſtentem, poſtmodum fuiſti per ſepediſtum Colonienſem Archiepiſcopum, (ad cuius id ſpectabat officium) conſecratus inunctus, coronatus, ac introniſatus Regio nomine in ſede Magnifici Caroli, nullo ſe inibi coronationi tuæ realiter, aut verbaliter opponente.

Recepisti quoque homagia magnati Regni ejuſdem, ac fidelitatis etiam Juramenta, obtinuisti ornamenta, & inſignia Imperialia, quibus Rex Romanorum ſolet ornari, dum Romæ inungitur, & conſecratur per manus ſummi Pontificis, & ſacrum Imperii ſuſcipit Diadema, & ſine quibus aliquis ad inunctionem, coronationemque huiusmodi, nec ſolet, nec debet admitti, reddita inſuper tibi fuerunt quamplurima oppida, caſtra, villæ, ac jura Imperii tamquam Regni, tuque ipſius Regni poſſeſſionem adeptus, ipſam tenes, & per ſex annos adeptam tenuiſti.

Ex his autem Procuratores tui arguere nitebantur, cum memorati Treverienſis Archiepiſcopus, & Dux Saxonie, recuſando dicto die præcedente, reliqui verò, non veniendo ad terminum concorditer assignatum, ſe ab electione reddiderint ea vice, tu ab omnibus Principibus, vel ſaltem ab iis in quos totaliter juſ eligendi reciderat, cenſeri debes electus.

Et pro certo, & indubitato ponentes juſ in Regno, & Imperio ſupra dictis, tibi electo prædictis conſuetudinibus obſervatis, ubi, & à quibus id fieri debuit, & nulli alii acquiſitum, ac Regium nomen, & Imperii diadema indubitata deberi, ſupplicaverunt inſtanter, & humiliter petierunt tibi huiusmodi nomen aſcribi.

Maximè cum ante dictus prædeceſſor id tibi de fratrum ſuorum conſilio aſcripſiſſet, te in eisdem Regno, & Imperio quibuſlibet aliis præferendo, ſicut per ipſius literas oſtendere nitebantur, teque per Nos inungendum, conſecrandum, & coronandum in Romanorum Imperatorem advocatum, ac Defenſorem Eccleſiæ, ad ipſum diadema de Noſtris ſuſcipiendum manibus ſine diſpendio alterioris moræ vocari, & apoſtolicum tibi favorem impendi; præſertim cum, non tantum major Pars Principum prædictorum, imò omnes, (excepto Nobili Viro Marchione Brandeburghenſi, qui etiam paratus eſt tibi obedire, ut iidem Nuntii proponebant) electioni de te factæ conſentiant, & tibi tam ipſi, quam alii Magnates Alemania generaliter tamquam ſuo Regi obediant, & intendant.

Petitionem ſuam illa indubitata ſicut aſſerunt in Imperio, & jure munitam, conſuetudine fulciantes, qua dicunt electo in Regem Romanorum ſecundum ſolitum morem Imperii, ubi, & à quibus debet, & poſtmodum per ſupradictum Colonienſem Archiepiſcopum inuncto, conſecrato, & coronato, eo ipſo Regium nomen acquiri, & ſi electæ perſonæ impedimenta non obviant, vocando ſine dilatione aliqua per ſummum Pontificem ad coronam, ad id non ſolum morem Imperii approbatum, ſed etiam quondam, felicis recordationis Innocentii Papæ Tertii Prædeceſſoris Noſtri decretalem Epistolam allegantes.

Ac dicentes per contradictionem memorati Regis Castellæ, vel electionem quæ de ipſo facta dicitur, petitionem non debere aliquatenus impediri, cum ſecundum prædictas conſuetudines, ſic ei jam cujuſlibet contradictionis via præcluſa, & electio ipſius nulla fuerit ipſo jure, utpote poſt annum, & diem contra eandem Imperii conſuetudines, & terminum ad hoc ſtatuto de communi Principum prædictorum conſenſu, tranſacto, & poſt electionem tuam legitimam non caſſatam, à ſolo nominato Treverienſi, qui (propter nova pedagia, quæ in terra ſua impoſuit, erat tunc excommunicatione ligatus) nulla omnino forma ſervata in Camera ejuſdem Treverienſis Archiepiſcopi contemptis aliis Principibus, clauſellæ arentata, cum nullam ab eisdem Principibus ſuper hoc poteſtatem haberet, quam, ſi etiam ab aliquibus habuiſſet (ſicut quædam pro altera exhibitæ literæ innuebant) formam tamen ipſus, quæ ſecundum tenorem literarum ipſarum ad exitam diem ſe tantummodo extendebant, non eligendo ipſa die minimè obſervavit.

Ex parte verò ſupra dicti Regis Castellæ (per venerabiles Fratres noſtros Gaſium Sylveſem, & Fratrem Dominicum Abulenſem Episcopos, ac dilectum filium magiſtrum Joannem Cappelhanum Noſtrum Archidiaconum Compoſtellanum, ipſius Procuratores, Actores & Negotiorum geſtores Generales, & ſpeciales omnes in ſolidum, ita quod occupantis non ſit melior conditio, mandatum habentes ab ipſo ad petendum pro eo, & ſuo nomine à Nobis, & prædictis Fratribus Noſtris coronam Imperii, & assignari ſibi diem ad recipiendum ipſam, & ad agendum, reſpondendum, defendendum, & tractandum jura ſua, & Imperii, & quidquid honori ejus expedire viderent, ſive in ordinario, ſive in extraordinario judicio ageretur) fuit e contra propoſitum, quod prædictus Dies Octavianum Epifaniæ non ad eligendum, ſed ad tractandum ſuper electione faciendâ Regis, & Imperatoris, & ad assignandum diem ad celebrandum electionem eandem, non per omnes, ſed quosdam ex ipſis Principibus extitit assignatus.

Qua die præfati Treverienſis Archiepiſcopus, & Dux Saxonie, pro ſe ac dilecto filio nobili viro Marchione Brandeburghenſi, qui eidem Treverienſi Archiepiſcopo vices ſuas commiſerat, nec non, & Procurator memorati Regis Bohemie ad prædictum Oppidum tamquam viri pacifici acceſſerunt.

Supradicti verò Colonienſis Archiepiſcopus, & Comes cum ingenti Armatorum multitudine ad loca circumvicina ipſius oppidi advenientes requiſiti per Treverienſem Archiepiſcopum Ducem, & Procuratorem prædictos (qui eorum impreſſionem verſimiliter formidabant) ut idem oppidum intrarent cum ſocietate decenti, de assignando die ad electionem celebrandam,

ANNO
1263.

ANNO
1255.

proût terminus exigebat (si ad hoc essent habiles) una cum ipsis pacificè tractaturi, non solum id facere contempserunt, verum etiam proprii profecutores Arbitrii præsumperunt te in Regem Alemanniæ, non sine multo contemptu aliorum Principum nominare.

Memorati autem Treverensis Archiepiscopus, Dux, & Procurator, nominationem hujusmodi attendentes penitus esse nullam.

Præsertim cum Colonienfis Archiepiscopus pro eo, quod in bonæ memoriæ P. Sancti Gregorii ad velum aureum Diaconum Cardinalem tum legatum in Alemanniæ Partibus manus iniecerat, ac Venerabilem Fratrem Nostrium Padebornensem Episcopum detineret captivum, propter quod per eundem etiam Legatum excommunicatus extitit.

Comes verò propter Clericorum, & religiosorum cædes, & notarias captiones, & quia contra sententiam felicitis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris Nostri quondam Friderico olim Romanorum Imperatori, & Conrado nato ejus præfiterat publicè consilium, auxilium, & favorem erant ipsius electionis tempore tam à Canone, quam ab homine variis excommunicationibus innodati, & Moguntinus Archiepiscopus cujus idem Colonienfis Archiepiscopus se vices gerere asserbat in vinculis teneretur; propter quod carens arbitrii libertate, præstare non potuit proût jura exigunt liberum in electione consensum, nec etiam factò præstitit ad electionem celebrandam.

Certum terminum statuerint subsequenter Dominicam Passionis, quo quidem termino usque ad proximam Dominicam Palmarum continuato de die in diem, & memorato Maguntino, (tunc à vinculis liberato) Colonienfi Archiepiscopo, & Comite requisitis, & nolentibus interesse, dictus Treverensis Archiepiscopus (à Rege Bohemiæ Duce, & Marchione sibi super hoc potestate commissa) dictum Regem Castello suo, & illorum nomine publicè, & solemniter in eodem oppido de Franckenford Dei Nomine invocato Romanorum Regem, & Imperatorem elegit, & electionem ipsam omnibus astantibus publicavit. Idemque Rex Castellæ (ipsa electione sibi per quam plures Magnates Imperii ad ipsum propter hoc in Hispaniam accedentes) postmodum presentata, electioni consensit eidem.

Ex præmissis sanè iidem Procuratores, & Nuntii prælibati Regis Castellæ dicentes electionem ipsam ubi, & à quibus debuit celebratam legitime allegabant electionem eandem impediri non potuisse per tuam, quæ sicut dicunt nulla extitit ipso jure.

Nam cum prædictus dies Octavarum non ad eligendum, sed ad tractandum de statuto die ad electionem celebrandam novi Regis fuerit non per omnes prædictos Principes, sed per aliquos ex eis, ut præmittitur, assignatus, (qui etiam ad eligendum statutum fuisset per majorem partem eorumdem Principum, minoris Partis non obstante contradictione mutari, & prorogari potuit, & extitit prorogatus) constat electionem de te maxime per pauciores de ipsis Principibus excommunicatos ipso die Octavarum factam nullam penitus extitisse.

Excommunicationem etiam contra memoratum Archiepiscopum Treverensem objectam, & consuetudinem, quæ de celebranda tempore vacantis Imperii infra annum, & diem Regis Romanorum electione præponitur, ac alias omnino negantes, allegabant, quod si

veritate hujusmodi propositio fulciretur, electio tua, quæ quindecim diebus de ipso tempore adhuc existentibus celebrata fertur, ex hoc etiam nulla esset, cum non licuerit minori parti majore contempta diem ultimam ipsius temporis prævenire.

Per quæ apparere dicebant quod electores ejusdem Regis Castellæ nolendo die illo eligere, non fuerunt eligendi jure privati, nec si etiam, ut pars adversa proponit, ad minorem partem renuissent exire: Nam cum infra prædictum oppidum de Franckeford Romani Regis, & Imperatoris, & non alibi debeat electio celebrari, minor pars non poterat ad locum alium coartare majorem.

Adjecerunt, præterea inunctionem, consecrationem, coronationem, ac possessionem prædictas (quam quidem possessionem omnino negabant) & cætera pro parte tua inducta, (cum ex electione tua, quæ ut prædicitur nulla extiterat secuta fuerint) tanquam nulla nullum potuisse suo munimentum asserre, aut ejusdem Regis Castellæ tum præjudicium generare: subjungentes Colonienfes Archiepiscopum supra dictam consecrationem, vel inunctionem, seu coronationem, quæ jus tribuant, dare non posse, nisi ei, qui à majori, & saniori parte prædictorum Principum est electus, alioquin illa sequeretur absurditas, quod solus Colonienfis Archiepiscopus precibus inductus, vel corruptus pretio, cui vellet Imperium dare posset.

Quod autem de literis Prædecessoris Nostri supradicti Alexandri præmittitur, (in quibus tibi Regium nomen dicebatur ascriptum, teque in prædictis Regno, & Imperio aliis fuisse prælatum) multipliciter confutabant.

Tam, quia quoties coram ipso Prædecessore Alexandro, ac Fratribus suis de Imperii negotio agebatur, idem prædecessor Alexander publicè asserbat, quod super eodem negotio nihil in dicti Regis Castellæ præjudicium attentaret (quod etiam ipsi Regi Castellæ, per literas per quondam A. de Ferentino suum Cappellanum, & nuntium intimavit) propter quod prædictæ pro te inductæ literæ merito sunt suspectæ, nec credendæ de ejusdem Prædecessoris Alexandri conscientia emanasse.

Tum etiam quia, si de ipsius conscientia, & Fratrum suorum consilio processissent, cum injuriosæ sint debent merito revocari.

Undè iidem Regis Castellæ Procuratores, & Nuntii, electionem, de ipso factam electione tua prædicta, & iis, quæ pro te fuerunt objecta, nequaquam obstantibus, fore legitimam, utpote celebratam à majori parte ipsorum Principum (quos iidem Procuratores, & Nuntii variare non potuisse allegant, & variasse non credunt (imò fictione juris ab omnibus) cum alii utpote inhabiles electioni non potuerint, vel saltem noluerint in loco solito, & tempore debito interesse) ac ipsum potiorum in prædictis Regno, & Imperio arguentes, cum instantia postularunt ipsi Regi Castellæ consuetam facerem, videlicet, quod quando aliqui ad Imperium in discordia Principum eliguntur, sedes Apostolica illum, qui electus est à parte maiori, personæ impedimentis cessantibus, denunciatur electum canonice, ac Regem nominat, & ei favorem præstat, illique terminum ad recipiendum coronam assignat, etiam si alter taliter electorum Regni possessionem præsumperit occupare (sicut in electionibus Lotarii, & Conradi, & Othonis, & Philippi, ac aliorum plurium observatum fuisse dicebant) ad

ANNO
1255.

ANNO
1255.

hoc prædictam decretalem Epistolam inducentes.

Eisdem autem præfati Regis Castellæ Nuntiis petitioni prædictæ super debita Justitia exhibenda porrectæ insistentibus, Nos memoratum Rossensem Episcopum, & alios tuos Procuratores, de prædictorum Fratrum Consilio, duximus requirendos, si vellet super præmissis subire tuo nomine nostrum, & Apostolicæ sedis examen. Qui habito consilio, responderunt, quod cum sis Princeps Catholicus Ecclesiæ Romanæ devotus, ipsam Caput Christianitatis, & Fidei, tuamque Matrem, & Dominam recognoscens, nec intendas illius declinare Judicium in quibus illud subire debes, & de Jure teneris, & in Imperio jus habens, ac Regni Alemanniæ, & ejus Jurium possessionem obtineas, parati erant in quantum prædicti Mandati quod à te habebant, se vires extendunt, pro se, ac tuo nomine, tamquam pro Rege vero, ac legitimo possessore Judicium nostrum, & Ecclesiæ Romanæ subire si quis appareret, qui te super præmissis velit impetere aut aliquid quocumque modo proponere, per quod tibi possit aliquod præjudicium generari.

Salvis semper in omnibus, & per omnia iurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore, ac libertate Sacri Romani Imperii, ejusque Principum ad quos specialiter spectat Romani Regis electio, & quibus præjudicare non intendebant, vel alias quomodolibet derogare, petitionem tuo præmissam nomine nihilominus reperentes.

Ecce Fili carissime dum ad petitionem Justitiæ ab una parte proceditur, nec ab altera judicio ceditur, sed per ipsorum Regum concordiam, & concordem supra dicti ordinationem Imperii desiderata quietis nobis serenitas aridet, in Judiciorum inquietos anfractus ingerimur, & experitæ Justitiæ instantia in ipsorum nos fluctus impellit.

Ecce! Pacem expectavimus, & non venit, petivimus bona, & turbatio strepitus judicialis offertur.

Profecto non id desiderabat Ecclesiæ Imperiali auxilio relevanda necessitas, non id exigebant lacere partes Imperii occupatricibus expositæ manibus direptorum, non id requirebat Christianitatis his temporibus miseranda conditio, quam intrinseca plusquam Tartariæ feritatis affligunt; quibus potius debebatur, ut per tractatus pacificos Cæsarei Culminis acceleranda provisio in unitate capitis jaribus reintegratis Imperii, contra tot discrimina provideret.

Nos itaque Pacis cogitationes sollicitè cogitantes, ac de illius sperantes omnipotentia, & immensa virtute, sub quo curvantur qui portant Orbem, qui ventis imperat, & ad ejus nutus stat Spiritus procellarum, pacis tractatibus proximis insistendum.

Et ideo hinc inde propositis à nobis, & prædictis Fratribus Nostris in discussionem exactæ deliberationis inductis de ipsorum Consilio, tam ad magnificentiam tuæ præsentiam, quam ad ipsum Regem Castellæ Nuncios deliberavimus destinandos, qui vos ad pacem invitent.

Ad quod dilectum Filium Magistrum Guillelmum Cappellanum Nostrum Archidiaconum in Ecclesia Parisiensi, Virum utique providum Consilii maturitate conspicuum, à nobis, ac eisdem Fratribus plurimum merito suæ probitatis acceptum, de cujus industria, & Fidelitate, Nos, & ipsi Fratres planè confidi-

mus ad tuam magnificentiam specialiter destinamus.

Et nihilominus cum sinus omnes Justitiæ debitores, non debemus eam Personis denegare sublimibus, qui super ipsa etiam ab humilibus requisiti nostri partes officii non negamus te, ac eundem Regem Castellæ citandos decrevimus, & de sepe dictorum fratrum consilio peremptorie, præsentium tenore citamus ut, secundo die Maji primo venturi, Apostolico conspectui per Procuratores idoneos, te præsentem qui tuæ conscientie consilii legitimum, & plenum à te mandatum habeant ad pacis tractatum si Dominus dederit ineundum, & ad procedendum in ipso negotio, prout honori Ecclesiæ, ac pensata talis, & tanti conditione negotii, sine offensa judicis videbimus expedire.

Datum apud urbem veterem primo Kal. Septembris.

De Conditionibus à Rege, & Edmundo Filio non observatis, & de Regno Siciliae alteri concedendo.

URBANUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, carissimis in Christo filiis H. illustri Regi Anglia, & nobili viro Edmundo nato ejus salutem, & Apostolicam benedictionem.

Non solum ad vestram, sed ad generalem, & publicam totius mundi credimus pervenisse notitiam, qualiter quondam Frederolimus Romanorum Imperator, ejusque Nati, & posterius Romanam Matrem Ecclesiæ sub diversitate temporum vexaverunt.

Hi etenim, aliorum persecutorum excedentes Tirannidem gravioribus eam affecerunt injuriis, & oppressionibus durioribus afflixerunt, & velut in eadem, & exterminium ejus tendentes furoris arcum, & feritatis gladium amentes diis illam tribulaverunt flagellis, & usque ad interiora profundis illatis vulneribus fauciarunt: Quoniam in hoc pravo genere patrum in Filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione sic imitatione operum nati genitoribus successerunt.

Et licet Ecclesia eadem ubique locorum ad quæ persecutorum ipsorum se extendit potentia, crudelissimas eorum persenserit punitiones, in Regno tamen Siciliae, quod ad ipsam Ecclesiæ pertinet pleno jure, tanto duriores, & asperiores persecutiones pertulit ab eisdem, quanto liberius iidem Persecutores sunt in eo longis temporibus debachati, quantoque severius, & atrocius inibi ante ipsius Ecclesiæ oculos uteri sui filios oppreserunt: Quia nec etiam Ecclesias, nec Personas Ecclesiasticas ipsius Regni, earumque jura, libertates, & Bona, Draconum illorum prætereire furors: sed in hæc eo exaudere ferocitas, quod quicquid ecclesiastico discernitur nomine abhorruerunt odio graviori.

Et ideo prædicta Ecclesia memorato Frederico & Conrado nato ipsius sublati de medio, ad Regnum ipsum habens maternæ compassionis affectum, quia erant adhuc lacrimæ in maxillis ejus, & in vultu suo apparebat squalor diutinae passionis, ardenti desiderio consurrexit, ut benignitatis suæ linteis lacrimas ipsas dilueret, & spualorem dextera propitiante

detergeret,

ANNO
1255.III.
Ex Archiv.
Angl. Rimer
Tom. I. pag.
769.

ANNO
1255.

detereret, ditumque Regnum, ad optatæ salutis, libertatis solitæ, pacisque solidæ statum plene reduceret, ut illud in eo firma stabilitate favente Domino præservaret.

Verum quia regnum ipsum cum omnibus districtibus, & pertinentiis suis, erat ad eandem Ecclesiam ejusque dispositionem specialiter devotum felicitatis recordationis Alexander Papa Prædecessor Noster dictum Regnum (pro cujus recuperatione ipsa Ecclesia importabilibus non parcendo sumptibus, ac multorum laborum minime devitando tædia diutius laboravit, rem utique ipsi Ecclesiæ, inter cætera sua bona temporalia carissimam) Tibi fili Edmunde præferendo te in hoc universis Catholicis orbis terræ Principibus, liberaliter contulit sub certis conditionibus, atque pactis, prout in Apostolico Privilegio super hoc obtento plenius continetur.

Et quia sincera, & firma voluntas in dilectionis, & operis prosecutione cognoscitur (cum hujusmodi negotium propter ipsius Regni statum nondum tunc in toto tranquillum, multo indigeret consilio, & favore, magnamque requireret solertiam, & sustentationis fulcimenta non modica, valida defensionis munimina, & indeficientis subsidii firmamentum) idem Prædecessor è diversis partibus magnificos instauravit exercitus, deputavitque legatos ad prosecutionem ipsius negotii, ut posset illud Domino adjutore perducere ad statum honorabilem, & quietum.

Cumque idem negotium laudabiliter convalesceret, & successibus prosperis firmaretur; tandem (quia quorundam Proditorum, qui eidem Ecclesiæ fraudolenter adhæserant faciente nequitia, inopinato casu extitit impedimentum propter quod tanto festinantius erat eidem succurrendum negotio, quanto sibi propinquius immineret confusio, & discrimen) dictus Prædecessor te fili Rex pluries requisivit, tibi cum instantia persuadens, ut quia prædicta Ecclesia erat ulterius ad ferendum tantum pondus penitus impotens, ac multis, & gravibus debitis obligata, succursum cum omni festinantia præparares, ita quod omni difficultate, ac tarditate remota, copiosa, & strenua militia, cum idoneo capitaneo mitteretur pro conservatione quarundem terrarum ipsius Regni, quæ adhuc in devotione ipsius Ecclesiæ persistebant, & per quas alias ejusdem Regni partes liber haberi poterat transitus, & processus.

Sed qualiter hæc, quæ memoratus prædecessor tibi, pro ejusdem negotii sustentatione ac promotione, persuasisse dignoscitur, fecerit non ignoras; qualiter etiam negotium ipsum adjuveris, ac super illo provideris, cunctis luce clarius innotescit, cum nec tuas, nec aliorum curas, & vires ad hujus rei prosecutionem curaveris adhibere.

Quin imò sic ipsum negotium per te, ac tuos omissum extitit, quod eo tuis speratis, ac opportunis subsidiis non suffulto, prædictæ terræ, per quas residuum ipsius Regni recuperari poterat, adversarii ejusdem Ecclesiæ Manfredi, videlicet quondam Principis Tarentin. aggressibus paruerunt, qui postquam Regnum ipsum totaliter occupavit, sic protinus in superbia altitudinem est elatus, & in sevitia acerbiter obriguit, quod de virtute divina non tremuit, humanamque parvi pendit potentiam, & honorem Ecclesiæ, ac libertatem hominum dicti Regni tyrannide furibunda depreffit.

ANNO
1255.

De (multiplicis enim necessitatis angusto in quo serpens iste lauerat ad affluentis opulentia amplitudinem famelicus, & sicibundus exiliens rabido cepit ore Regnum laniare præfatum, sicque in bona, & personas ipsius anxia exarsit ingluvie, quod hæc insatiabili rapacitate discerpens, illud pro dolor! ferus absorbit in utriusque, nec sexum, nec ætatem, neque ordinem prætermittens.

Propter quod multoties dolorose suspirat & lacrimatur amarè Apostolica sedes, quod Regnum juris, & proprietatis suæ carum, quippe sibi dira, & dura pharaonica oppressionis mole prosternitur, nec finitur pia, & leni consolationis apostolica dextera relevari.

Expectans enim, expectavit diutius, quod sublime regni Angliæ solum, cum strenua domus Gentis Anglicanæ potentia, quam dictus prædecessor in ipsius Regni collatione specialiter honoraverat, apprehenderet Arma, & scutum, & exurgeret in adiutorium matris suæ, dictumque negotium constanter assumeret: Et præfatam Ecclesiam liberando magnificè ab inimicis ejus, qui in circuitu ejus sunt, ac extrahendo prædictum Regnum, ejusque populum de faucibus persecuentes, jugum oneris ejus, & sceptrum exactans ejus magnificentius superaret.

Sed hujusmodi expectatio, & spes, quam in vobis sedis eadem posuit, nullum sibi profus commodum attulit, vel profectum; quin imò sedes ipsa hujusmodi spe frustrata, multas, & innumerabiles propter hoc injurias, & ignominias pertulit, pluraque, & inextimabilia sustinuit detrimenta.

Dictus namque Manfredus occupatione ipsius Regni Siciliae non contentus, ad Anconitan. Marchiam, & quam plures alias terras de Patrimonio ipsius Ecclesiæ, & demum ad quamdam partem Tusciæ, quæ Romano Imperio subjacet, avidas, & occupatrices manus extendens, memoratam Ecclesiam diversis persecutionum generibus incessanter affligit: Ad id quod eadem Ecclesia multis malis afflictis diversis attrita molestiis, & variis flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare.

Quoniam ex hoc libere pullulant hereses, cultus divini nominis dispendia minorationis incurrit, incendia urbium, castrorum depopulationes strages Christianorum, & quamplura alia abominabilia committuntur, quæ divina oculos majestatis offendunt, scandalum in Ecclesia commovent, & tremendum Ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant, & conculcant; nec potest ipsa Ecclesia invalescentibus ejusdem Manfredi viribus opportunum super iis remedium adhibere.

Nos igitur, postquam fuit nostris cervicibus jugum Apostolicæ servitutis impositum, diligentius attendentes, quod à prædicto Regno Siciliae omne malum ipsius Ecclesiæ pandebatur, & causa periculorum hujusmodi procedebat, considerantes etiam, quod dicta Romana Ecclesia, per vos non potuit, neque poterat (quod inviti referimus) à suis calamitatibus, & ærumnis quantumcumque vos diutius expectaverit liberari, propter quod omnino expediebat, tam nobis, quam ipsi Ecclesiæ de præfato Regno Siciliae aliter cogitare, necessario disposuimus in Animo Nostro de Regno ipso tractare, ac ordinare utiliter, prout expedire honori, & profectui prædictæ Ecclesiæ viderimus.

Cumque hujusmodi nostræ intentionis profectum producere vellemus, in actum tu Fili

Rex

ANNO
1255.

Rex hoc intelligens in grave tulisti sicut accepimus, & molestum, de quo & vehementiorem admirationem in mente accepimus, quo plenioris semper de te prædicta Ecclesia fiduciam habuit, quod in cunctis necessitatibus tibi potenter, & patenter assistere ipsiusque honorem, & commodum, non solum penes te, sed etiam penes alios affectuoso studio procurares, retroactis temporibus dinosceris id laudabiliter peregisse.

Quia ergo liberum est nobis, & ipsi Ecclesie de prædicto Regno Siciliae disponere, ac juxta nostrum beneplacitum ordinare, cum conditiones, sub quibus Regnum ipsum à præfato prædecesore concessum extitit adimpletæ non fuerint, sicut nostis; Nos intendentes omnino urgente ad id nos necessitatis articulo (in quo est prædicta Ecclesie fieri expedire viderimus, providere) Magnificentiam vestram de Fratrum nostrorum consilio rogandum duximus attentius, & hortandam in remissionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatinus præmissa omnia infra vestrorum claustra pectorum meditatione provida revolventes, & gerentes ad prædictam Ecclesiam super tot ejus angustiis, habito ad radicem veritatis in hac parte respectu filialis compassionis affectum nullum deinceps nobis, & ipsi Ecclesie super hujusmodi dicti negotio in-

geratis impedimentum, nullumque contradictionis obstaculum opponatis, sed ab iis penitus desistentes, non solum permittatis Nos, & eandem Ecclesiam libere de Regno ipso tractare, ac facere sicut viderimus faciendum, verum etiam, & verbis ostendatis, & literis, quod Vobis non displicet, immò placet si dicta Ecclesia super ipsius Regni negotio tractet cum aliquibus Mundi Principibus, suamque possit de ipso Regno conditionem facere meliorem.

Preces super hoc Apostolicas taliter impleturi, quod Regem Regum constituatis exinde vobis propitium, & benignum, & prædictam Romanam Ecclesiam reddatis propter hoc votis perpetuis temporibus in vestris opportunitatibus favorabilem adjuricem.

Et ecce Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Casentin. Virum utique expertæ providentiæ, ac examinatæ virtutis, cujus super his acquiescatis monitis, & exhortationibus propter hoc specialiter ad vos de ipsorum Fratrum consilio destinamus.

Datum apud urbem veterem quinto Kal. Augusti. Pontificatus nostri anno secundo.

Plumbeo sigillo à Filo canabæ.



